

et cernere, non ut se rei habet veritas, sed per speculum et umbram et imaginem videat, nec futura cognoscat, et per multiloquium non effugiat peccatum, silentium ponat ori suo, et credat eum venisse qui scriptus est, quomodo,

et quantus, et qualis venerit non requirens, a Hebraei hoc loco constituunt dimidium libri; unde ab initio huc usque numerant versus 112, et totidem computant ab hoc loco usque ad finem libri.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex brevitate vita ostendit vacandum esse non vanitati, sed veritati et sapientie, cuius varia dat dogmata, ut sciamus quo in vita eligenda sint, qualia sint audire sana consilia, iram comprimere, bonis suis moderate uti, non plus sapere quam oportet, iustus subvenire, levibus et malelicis sermonibus aurem non probere. Denique, vers. 27, docet prae cavendum esse a mulieribus, velut a veneno mortifero.

1. Quid necesse est homini majora se querere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suae, et tempore quod velut umbra praeterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? 2. Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa; et dies mortis die natiuitatis. 3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. 4. Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. 5. Cor sapientium, ubi tristitia est, et cor stultorum, ubi laetitia. 6. Melius est a sapiente corripri, quam stultorum adulatione decipi: 7. quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed et hoc vanitas. 8. Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. 9. Melior est finis orationis, quam principium. Melior est patiens arrogante. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit. 11. Ne dicas: Quid putas causae est, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujusemodi interrogatio. 12. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. 13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuant possessori suo. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. 15. In die bona fructus bonis, et malam diem praecave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias. 16. Haec quoque vidi in diebus vanitatis meae: Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua. 17. Noli esse justus multum: neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas. 18. Ne impie agas multum: et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. 19. Bonum est te sustentare justum, sed et ab illo ne snorahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit. 20. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. 21. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. 22. Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accomodes cor tuum: ne forte audias servum tuum maledicentem tibi; 23. scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis. 24. Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapienter efficiar: et ipso longius recessit a me, 25. multo magis quam erat: et alta profunditas, quis inveniet eam? 26. Lustravi universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quarerem sapientiam et rationem: et ut cognoscerem impietatem stulti et errorem impudentium: 27. et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. 28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem, 29. quam adhuc quaerit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulie-

rem ex omnibus non inveni. 30. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?

1. Quid necesse est homini majora se querere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suae, et tempore, quod velut umbra praeterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? — Hebraea: Quid Adam, id est, homini est residuum? Auctor Catech. Graec.: Docet, inquit, omnia quae in hoc mundo sunt, esse vana, neque aliud quam umbram, atque universa post mortem caeca oblivione obscuranda, et conspicienda fore (1).

Pro majora hebraice est *יִתְרוֹ* iether, quod idem est cum *יתרון*, de quo dixi cap. 1, vers. 3, ac proprie significat residuum, id quod superest et superfluum, item amplius, praestans, ceterum. Crebro iterat hanc vocem Ecclesiastes, ut rerum singularum vanitatem ostendat, ex eo quod fugaces sint et evanidae, nullaque sit, quae post se relinquat *יתרון*, id est residuum quid, sed omnia instar vaporis, umbrae et somni illico praeterant, diffidentur et evanescent. Hinc primo, aliqui per majora accipiunt aliena, q. d. Cura tua, non aliena: haec enim, quia ad te non pertinent, te supergrediuntur, tuoque statu et cura sunt majora; secundo, alii: Majora, inquit, sunt quae tuum captum et vires transcendunt, qualia sunt curiosa, subtilia, sublimia, quae ad virtutem et beatitudinem nos non juvant, juxta illud *Ecclesi. m. 22*: « Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae praecipit tibi Deus, illa cogita semper. » Unde illud Ptolomaei in Praefat. *Aimagesti*: « Qui scientiam suam ultra astutiam, quae in ipso est, extendit, est sicut pastor debilis cum multis ovibus; tertio et genuine, majora accipere *future* haec enim *iether*, id est homini post mortem residua, item superflua, quae multa, ampla et magnifica avarus corrige non cessat, q. d. Noli, o avarus, in futuras aetates curas tuas extendere, ut opes familiarumque tuam stabiliis, amplisque et splendidiis officias per multa saecula, itaque illam quasi aeternam. Haec enim majora te sunt. Sufficiat tibi per vitam comparare necessaria ad victum et vestitum, futurorumque curam Deo et posteris relinque, ac dicito:

Maneat nostrus ea cura nepotes.

Quid hic, miser, opes, praedia, status, dignita-

(1) *Nam quis scit, vix unus scit, quid sit bonum homini in hoc vita, quid facto nihil sit, numero dierum vitae vanitatis suae, id est vite suae evanida, et quo dies facti, transigit* (conf. Ciceroem ad Atticum, V, xx: « Apameae quinque dies morati locum decem fecimus ») *ut umbram? Quippe quis indicabit homini, quid futurum sit post eum sub sole?* id est, si qua in praesens facere expedit, scit nemo, multo minus venturabit, quid deinceps sit futurum.

tes, beneficia, officia coecervas, quasi hic perpetuo victurus, cum brevi sis moriturus, et haec omnia terre relicturus? Quid hic magna spectas? exiguum est quod hic cernis. Quid longa speras? breve est quidquid hic vides: aeterna cogita. Ita Thaumaturgus. Spectant enim haec admittimus avari curas et sollicitudines de futuris, uti dixi in fine capituli praecedentis. Unde Hebraea, Chaldaeus, et Pagninus hanc gnomen illi attaxunt; caput vero septimum inchoant a versu 2, ibique pariter ordiuntur tertium libri sectionem. Melius tamen Latini et Graeci ex hac gnome ordiuntur caput VII, quia ipsa est commoda transitio et nexus capituli praecedentis cum septimo. Generatim enim ostendit homini non esse ambienda majora et futura, sed honeste et modeste utendum praesentibus, quantum vite brevitatis requirit, ita ut post se honestatis et virtutis nomen ad aliorum exemplum relinquant. Unde subdit, *melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa*. Ita S. Hieronymus.

Sapienter S. Ephrem, tractatu *De Paupertate*, post medium: « Vanitas, inquit, rerum humanarum est haeres, quoniam ipsius est distractio et occupatio varia. Filium genuit distractionem avaritiae et voluptatis, atque luxuria et ambitio; benevolamque se praebet matri supra vires. Vinea serpentis astutiam, et benevolentiam serva Domino. Sume ea quae vanitatis sunt, et tribue illa Deo, ut tu tuorum evadas heres in futuro saeculo. Facultates tuas atque pecunias Deo appone, et vanitas hereditatis depulsa erit. »

Thaumaturgus secutus Olympiodorus et alii haec referunt ad astrologos et divinos, qui ex astris similibusque rebus conantur conjectare futura, quos saepe avari et potentes, qui magna ambiunt, consulunt, et justo Dei judicio illorum adulatione decipiuntur, dum mendacia et falsa opum et honorum oracula ab eis accipiunt. « Quam multa, ait Cicero, lib. II *De Divinatione*, ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Caesari a Chaldaeis dieta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi peritum videatur quemquam exstare, qui etiamnum erodit iis quorum predicta quodlibet videtur et evenit refelli. » Nam Pompeius victus a Caesare, fugiens in Aegyptum, coram uxore et filiis misere a servo occisus est; Crassus apud Charras a Parthis interceptus; Caesar in Curia a suis maculatus. Vere Aticus in *Astignante*:

Nihil credo auguribus, qui aures vides divitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Idcirco hanc gnomen ponit Salomon, ut carpat avari curiositatem, avaritiam et inconstantiam.

Triplici ergo fine triplicique de causa eam assignat: *prima* est, ut comprimator curiositas humane mentis et purigo quaedam sciendi, vel futura, vel quae ad nos non pertinent; *secunda*, ut diminetur concupiscentia oculorum, rerum nimirum, quae oculis lenocinantur, splendidissimarum; *tertia*, ut notetur inconstantia humanae concupiscentia, nunquam contentae sorte sibi a Deo constituta. Ita Pineda.

CUM IGNORET QUID CONDUCAT SIBI IN VITA SUA. — Hebraei, *quid bonum in vita; Syrus, quid melius: Sic et Arabici, Chaldaei, quis enim est qui sciat quid sit bonum viro in hoc saeculo, nisi laboret in lege qua est vita aeterna; lex enim semper vivit, et sui custodem ducit ad vitam aeternam. Probat non esse querenda majora tribus argumentis: primum est hoc, petitum a minori, q. d. Ut quid mortalis avare et arroganter querit majora, qui non capit minora? ut quid scrutatur futura, qui ignorat praesentia? ut quid vestigat curiosa, qui non agnoscit necessaria sibi ad vitam hanc honeste transcendendam? Hoc est quod ait Sapiens cap. ix, 16: « Difficile estimamus quae in terra sunt: et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quae autem in oculis sunt quis investigabit? » Digni multi, qui rideantur a vetula quapiam, quemadmodum Thales, impingentes pedibus, dum alte tollentes oculos: superiora contemplantur, ad ea vero quae sunt ante pedes non attendentes. Vix est qui noscat quid sibi maxime in hac vita utile sit, conjunxne, utrum pecuniae possessiones, et id genus alia? ait Olympiodorus. Et tamen haec ipsa quae homini bona jucundaque videntur, sepe ei sunt noxia, tristitia, funesta, milleque ei curas, merores et angores afferunt; ut vere noscat homo utrum sit melius habere uxorem, opes et praedia, an iis carere: nullo ergo magis ignorat majora et futura. Unde Socrates de caelo et sideribus disserere volebat, dicens: « Quae super nos, nihil ad nos, » teste Laertio in ejus Vita.*

NUMERO DIERUM PEREGRINATIONIS SUAE. — « Numero, » i. e. paucitate; hinc enim parvi est numeri facileque numerabilis. Hebraei, *numero dierum vanitatis suae*, qui colligit cito cum homine abeunt et evanescent; *vanitatis ergo*, id est vite vanae, quae cito iustarum fami transit et evanescit. Unde Arabici verit, *numeros dierum vite vanitatis suae praevertit seductione*; Campensis, *numero dierum vitae hic vanitate victor, q. d. Numerus dierum vitae tuae, o avare, brevis est, cur ergo tu tuis vanis curis et angoribus illam breviorum efficias? Audi Senecam, lib. De Praevitate vitae, xvii: « Miseriam vitam ergo necesse est, non tantum brevissimam vitam eorum esse, qui magno parant labore quod majore possident, opere se assequuntur quae volunt, anxii tenent quae assecuti sunt: nulla interim nunquam amplius reddituri temporis est ratio. Novae occupationes veteribus substituuntur, spes spes excollat, ambitionem ambitio, miseriarum*

non finis queritur, sed materia mutatur. Nostrum honores torsiunt, plus temporis alieni auferunt; » et cap. xv: « Sapiens ergo multum patet vita: non idem illum, qui ceteros, terminus includit; solus generis humani legibus solvitur; omnia illi saecula ut Deo servant. Transiit tempus aliquod? hoc recordatione comprehendit; instat, hoc utitur; venturum est, hoc praecipit. Longam illi vitam facit omnium temporum in unum collatio: illorum brevissima ac sollicitissima aetas est, qui praeteritorum obliviscuntur, praesentia negligunt, de futuro timent. Cum ad extrema venerint, sero intelligunt miseri, tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse. »

Qui sapit ergo, vitam hanc brevem propriis, praesentibus, sibi quae salutiferis impende, non alienis, non futuris, non vanis, inutilibus vel noxiis. Est haec secunda ratio, quae probat non esse scrutanda majora et futura, q. d. Homo in hac vita peregrinus est, et peregrinatur assidue, ut ad patriam caelestem perveniat; ut quid ergo adeo sollicitus est de commodis hujus vite tam brevis et fugacis? In modica enim vita modico opus est viatico. Peregrinus peregre hospes est et advena; ut quid ergo hospitio immoratur, in eoque sedem et patriam constituit? Peregrinus velit, noli, pertransit, nec nisi unam noctem pernoctat in hospitio; summo enim mane pergit ulterius; ut quid ergo in terra peregrini, curas et cogitationes omnes defigimus in hac vita, quae non nisi hospitium est unius quasi noctis? Peregrinus laborum et tedium peregrinationis sentiens anhelat ad patriam; ut quid nos tot labores et dolores in vite hujus peregrinatione assidue tolerantes non ostendunt nobis? Vive ergo tibi, non posteris; vive Deo, non mammonae; vive caelo, non saeculo; vive non tempori, sed aeternitati. Vide S. Basilium in Psal. iv, et homilia 23 *De non adhaerenda rebus saeculi*. Ha sancti omnes asstimaverunt se hic peregrinos, dicentes cum Davide: « Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei; » uti Abraham, Isaac, Jacob, peregrinati sunt in Chanaan, « confidentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim haec dicunt significant se patriam inquirere, » ait Apostolus, Hebr. xi, 9 et 13. Vide ibi dicta. Hinc sapienter infert S. Augustinus, lib. I *De Doctrina Christiana*, cap. iv: « Quomodo ergo, si essemus peregrini, qui beate vivere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri et miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset, ut ad patriam, qua fruemur erat, pervenire valeremus; quod si amicitias itineris et ipsa gestatio vehicularum nos delectarent, conversi ad fruemum his quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, et perversa suavitate implicati alienaremur a patria, cujus suavitas faceret beatos: sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Dom'no. Si

redire in patriam volumus, ubi beati esse possumus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciantur, hoc est, ut de corporalibus temporalibusque rebus aeterna et spiritalibus temporibus. » Vide Climachum, gradu 3, et S. Cyprianum, libro *De Mortalitate*.

ET TEMPORE, QUO VELUT UMBRA PRAETERIT. — Hebraei, *et ponet eos (dies tuos Deus) sicut umbram*; Septuaginta, *fecit eos in umbra*; Syrus, *transiit (homo) illos tanquam umbra*; Chaldaei, *omnis numerus dierum vite vanitatis suae, quibus vixerit in tempore mortis suae, reputati sunt umbra*; Tigurina, *quos transiit (alii, peragit) tanquam umbram*; Campensis, *Deus enim fecit dies hominis similes umbram*.

Est tertia ratio probans non esse ambienda majora, quae scilicet modico hic vivimus tempore, ut modicis contenti studeamus virtuti, meritisque cumulandis, quibus assequamur beatam aeternitatem. Recte tempus comparatur umbram: *primo*, quia sicut umbra comitatur motum solis, sic et tempus; motus enim diurnus solis facit diem, mensurans mensem, annus annum. Unde et in horologis per umbram styli, sive indicis, indicantur horarum numerus. Umbra ergo est aer carens sole, quod fit aliequus corporis objectu, presertim nubium; *secundo*, quia, sicut umbra, ascendente sole, decrescit, adeo ut in meridie sit exigua et quasi nulla: sic, crescente tempore, decrescent et minuantur anni vite, ut cum ilud ad summum quasi ad zenith venerit, hi finiantur et desinant; *tertio*, sicut umbra videtur habere magnam molem, v. g. umbra hominis mane longe major est homine ac representat gigantem, revera tamen ipsa minimum, imo nihil habet substantiae, cum umbra nil sit nisi privatio lucis: sic pariter tempus parum habet existentiae; per se enim non existit, sed tantum per unicum punctum, sive instans praesens, puta per unicum *nunc*, quod continuat tempus futurum cum praeterito. Hinc Gabriel Vasquez censuit tempus non esse ens reale, sed ens rationis; quia tempus in se non existit, sed in mente hominis istud numerantis, quia consistit in numero et computa partium, v. g. horarum sibi succedentium et continue decurrentium: unde proprie partes temporis sunt praeteritum et futurum, quae revera non existunt; *quarto*, quia sicut umbra celerrime praeterit, sic et tempus: hoc enim aequo, ut umbra sequitur solem; sol autem celeritius est; adeo ut qualibet hora millionem miliarium peragat et amplius: pari ergo celeritate praeterit tempus; unde illud: « Volat irrevocabile tempus; » *quinto*, sicut umbra obscura est, sic et vita nostra tenebris, miseris et erroribus involvuta est; *sexto*, tempus vite nostrae est quasi umbra aeternitatis Dei, quia ab illa, sicut umbra a sole, dimanat, juxta illud Ps. lxxxix, 8: « Posuisti saeculum nostrum in illuminatione vultus tui. » Hinc vicissim mors vocatur « umbra vitae, »

quia mors sequitur vitam velut umbra, sicut ipsa vita velut umbra sequitur solem aeternitatis. Vitaque divina, et quia mors atra est, tristis, funesta, horrida instat umbrae; *septimo*, sicut umbra nunquam stabilis consistit, sed assidue juxta ascendens vel descensum solis mutatur, crescit vel decrescit: sic et homo nunquam in eodem statu permanet, sed per singulos dies, imo momenta mutatur et variatur; *octavo*, sicut sol ascendens ad summum coeli suam umbram sensim minuit, tandem in meridie eam o' efficit et disperdit: sic et homo dies vite suae vivendo minuit, et cum ad summum ejus diem venerit, omnino conficit et consumit. Hinc S. Hieronymus legit, *faciet ea quasi umbram; alii, perficit vel confectus eos tanquam umbram; nono*, umbra est res levissima, quae evanescent nullum in terra sui relinquit vestigium: sic et homo moriens. Hinc sponsa *Canticorum* II, 17, suspirans aiebat: « Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, id est donec aspiret dies aeternitatis, et inclinentur umbrae temporis et mortalitatis, » ait S. Gregorius.

AUT QUIS EI POTERIT INDICARE QUID POST EAM FUTURUM SUB SOLE SIT? — puta quales avarus et dives habiturus sit filios, nepotes, haereditas; quid de opibus et praediis suis futurum sit, cum ignoret quid sibi ipsi sequenti anno, imo sequenti die venturum sit: forte enim bonis omnibus et vita ipsa spoliabitur. Ita Olympiodorus.

Quarta est haec ratio, cur homo majora et futura querere non debeat, quia scilicet omni sua cura et studio non potest futura cognoscere et praevidere, iisque providere et prospicere. Haec enim incerta sunt et a futuris rebus casibus pendent, ideoque mille mutationibus sunt obnoxia, uti quotidie experimur, quae proinde praevide, praefinire, ordinare et gubernare solius est Dei. Hoc enim est opus divinae Providentiae proprium et adequatum.

Hinc patet Salomonem per majora accepisse futura, ac de futurorum scrutinio et providentia hic agere, ut initio dixi.

2. MELIUS EST NOMEN BONUM QUAM UNGUENTA PRETIOSA: ET (id est sic, pariter melior est) DIES MORTIS DIE NATIVITATIS. — Est elegans paranomasia טוֹב טוֹב לֹב טוֹב scem mussacem, q. d. *Melius est nomen quam unguentum; semen enim et oleum et unguentum significat, ait S. Hieronymus. Unde Symmachus verit, melius est nomen bonum quam unguentum bene olens; Septuaginta vero, Arabici et Syrus, bonum est nomen (Arabici addit, unum) super oleum bonum.*

Hinc Hebraei inchoant tertiam libri partem, ideoque *Tob* majuscula *teth* notant; sequuntur enim hic multae comparationes, quibus meliora cum minus bonis comparantur, quae omnes incipiunt a *tob*, id est bonum, sive melius.

Hae gnomae recte priori notentur, tanquam conclusio ex illa educta, quasi dicas, ait S. Hieronymus: « Considera, o homo, dies tuos breves,

et quia cito esse soluta carne cessabis; fac tibi famam longiorem, ut quo modo unguentum nares odore delectat, sic ad tuum vocabulum cuncta posteritas delectetur.»

Duo ergo significat: primo, g. d. in hac vita non stude opibus alterive vanitati, sed nomini, fame et gloriæ: hæc enim prestantior et fragrantior est opibus, imo unguentis rebusque pretiosis; secundo, g. d. Stude virtuti: hæc enim parit nomen et famam, hæcque magis redolet quovis balsamo; nomen enim et fama quod paritur opibus, nobilitate, scientia aliave re vana, tenuis est, fucata et evanidum; unde cito dilabitur et evanescit. «Fucus parva gloria, sicut non est vera gloria, ita nec diuturna est,» ait Plutarchus in *Catoe*. El Cicero, II *Officiorum*: «Fundamentum, ait, perpetuum commendationis et fame est iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile;» et Seneca, *epist.* 79: «Gloria est umbra virtutis, etiam invitos comitabitur,» hinc Lyranus explicat, g. d. Bonum honestum, quale est nomen bonum, preferendum est delectabili, quale est unguentum. Per unguentum enim omne deliciarum genus significat, ait Olympiodorus.

Igitur virtus, et ex ea nomen et gloria apte comparantur unguentis pretiosis, quibus, teste Plinio, lib. XII, cap. xxy, et lib. LVI, cap. xxxii, Orientales, præsertim Judæi, utebantur in convivis, tum ad refrigerium, tum ad fragrantiam, tum ad membrorum fomentum, lenimen, sanitatem et robur: primo, quia, sicut unguentum fovet, recreat et firmat corpus, sic fama animam. Unde Thama-turgus verit, *fama bona suavior est anime quam oleum corpori*. Animam enim fama oblectat, ejusque vires exigit ad audendum majora, præsertim ut quam plurimos ad se suamque virtutem, imo ad Christi cultum amoremque pelliciat. Solent columbarii, ait S. Basilius, columbam palestriam, id est allecricam, fragranti odore delibatam ad extraneas emittere, que odore ejus capte eandem ad columbarium revolantem sequuntur, ibique capiuntur. Sic pariter anima sancta et religiosa illam fragrantiam virtutum spiret, ut per illam omnes ad se, imo ad Christum et religionem pelliciat. Sed audi S. Basilius, *epist.* 475 ad *Julianum*: «Ars quædam est aucupandi columbas, videlicet talis: ubi unam ceperunt, qui capiendis illis student, ciebunt illam reddunt, et ad humanum convictum assuefaciunt, deinde unguento alas illius perungunt, simulque conjungi aggressibus; illa vero per unguentum fragrantiam aggressum illum, ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert ejus, cujus ipsa est domestica. Buncoleatem namque sequuntur et relique; atque ita in polestatem columbarii veniunt. Quamobrem autem litterarum istarum istud exordium esse volui, quoniam Dionysium filium, aliquando Diomedem nactus, divino unguento anime illius alas peruxi, et ad honestatis tue gravitatem misi, ut et teipsam illi jungeres, et

ad nidum acciperes, quem ipse apud nos compegit.»

Secundo, quia sicut unguentum longe lateque sui spargit odorem, sic et fama. Vulgo dicitur: «Tria se faciunt seniri: Muller, ventus et unguentum,» juxta illud *Proverb.* cap. xxvii, vers. 46: «Qui retinet eam (feminam rixosam), quasi qui ventum tenet, et oleum dextera sue vocabit.» Eleganter S. Bernardus, *serm.* 71 in *Canonica*: «Habent, ait, mores colores suos, habent et odores; odorem in fama, colorem in conscientia.» Hinc aiebat Paulus: «Christi bonus odor sumus;» alii in vitam, alii in mortem, II *Corinth.* cap. ii, 45; et eodem capite, vers. 14: «Odorem notitiæ Christi appellat famam Christi ejusque religionis et fidei, quam ipse sua sanctitate et zelo ubique spargebat. Hinc de eo dicitur *Cant.* i, 2: «Oleum effusum nomen tuum;» oleum, id est unguentum, ut vertit Vatablus et alii: unguentum enim fragrat, non oleum. Unde sequitur: «Ideo adolescentule dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.» Audi S. Augustinum, lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. xii: «Odor bonus bona fama est; quisquis bone vite operibus abundaverit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit.» Rursus S. Basilius, *orat.* in *Sordium*: «Quemadmodum, ait, suavia aromatum odoramenta proprium quiddam per aërem continentem spirant, quibus presentes recreantur: ita vir bonus toti sibi commemoratum contubernio salutaris et jucundus est.»

E contrario: «Memoria justis cum laudibus, nomen impiorum putrescit,» *Proverb.* x, 7. Porro odorator est fama quam unguentum, quia hæc ad modicum distantiam modicumque tempus sentiuntur; fama vero spargitur per varias gentes, ac durat post mortem per multa sæcula, imo post mortem inclarescit, cum subinde per emulorum invidiam in vita legatur et obscuratur.

Tertio, quia sicut unguenta pretiosa sunt, adeo ut olim in regum thesauris præcipua haberentur, ut patet de Ezechia, IV *Reg.* xx, 13: sic et fama pretiosior est opibus cunque pretio. Unde Cato:

Omnia si perdas, famam servare memento.

Hinc S. Augustinus, *serm.* 49 *De Diversis*, monbat, quod et ipse studiosè observabat, dicens: «Propter nos conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra non polli; sed polliere debet in vobis.» Et S. Bernardus: «Proximus, ait, debemus famam, nobis conscientiam.» Hinc Theodericus, rex Gothorum, apud Cassiodorum, lib. III *Var. epist.* 11, de Argolici prefecti viris parente ait: «Affectans famæ commoda, pecunie neglectis argumenta.»

Quarto, unguenta pretiosissima erant, quibus unguentur reges, sacerdotes et pontifices: unde significat nomen bonum prestare dignitate regis, sacerdotali et pontificia, quia hæc sine virtute et

sanctitate esse potest, sine qua nequit esse bonum nomen. Unde Chaldaeus verit, *melius est nomen bonum, quod acquirunt justi in hoc sæculo, quam oleum unctiois quo ungebantur capita regum et sacerdotum*. Hinc rex Josias non a regno, sed a virtute ejusque fama et gloria commendatur ab *Ecclesiastico*, cap. xlix: 1: «Memoria Josie, ait, in compositione odoris facta opus pigmentarii;» ubi ostendi memoriam et famam Josie comparari fragrantii thymiamati, quod adolebatur Deo. Vir sanctus ergo mysticus est rex et pontifex, imo major, Deoque grator, quam rex vel pontifex. Quocirca R. Simon in *Pirke Avoth*, cap. iv: «Tres, ait, sunt coronæ: prima, legis; secunda, sacerdotili; tertia, imperii: sed his omnibus eminent et præfulget corona boni nominis et fame.»

Et dies mortis die natiuitatis. — Syrus, *die generalis*; Thama-turgus, *vita exitus melior quam ars*. Copulativum et idem est quod sic: copulat enim similia, uti passim accipitur in *Proverbis*. Unde Vatablus unica sententia hanc gnomen sic effert, *præstantius est nomen unguento redolente: sic dies mortis die quo natus est ille*. Et Campensis, *grator est fama bona post mortem die quo quis nascitur*. Comparatur ergo nomen bonum morti, unguenta pretiosa natiuitati, illudque his præfertur, quia nomen bonum, maxime post mortem, splendescit; per mortem roboratur et confirmatur, cum in vita sit dubium et anceps: multi enim famam, quam initio vite acquisierant, in fine perdididerunt. Unde *Ecl.* cap. xi, 30, monet ne quis ante mortem laudetur: «Ante mortem, inquit, ne laudes hominem quemquam.» Unguenta vero comparantur natiuitati, quia unguenta sunt symbola deliciarum, quibus enutriuntur pueri et puellæ, præsertim regum et principum. Hinc et eodem unguentis pretiosis perunguntur Hebræi aliæque gentes, ut satis colligitur ex illo *Ezech.* xvi, 9: «Lavi te aqua, etc., et unxi te oleo.» Sic et præci Romani pueros rocosos natos in testudinis alveis calida aqua abluabant, mox oleo et lutro perungebant, ait Alexander sibi Alexandro, lib. II *Genial.* cap. xv; sic et infantes christiani in Baptismo oleo, in Confirmatione chrismate unguuntur. Quin et S. Bernardus in *Sententiis* asserit tres magos Christo infanti oblutisse aurum; thus et myrrham: aurum ejus paupertatis sublevande, thus ad pellendum stabili factorem, myrrham ad consolanda infantis membra; licet S. Hieronymus, Leo, Augustinus, Rabanus, D. Thomas et alii passim mysticæ magicæque sibilis horum trium donorum causas afferant. Ursus in natiuitate infantium fiebant convivia et hilaria, in quibus de more convivæ unguentis pretiosis ungebantur.

Sensus ergo est quasi dicit: Sicut nomen bonum præstat unguentis pretiosis, etiam balsaminis, sic dies mortis, qui justis affert bonum nomen, præstat die natiuitatis, quo unguentis fuerit delibuit. Rationes tres affert S. Hieronymus: «Os-

tendit, inquit, melius esse exire de sæculo, et carere tribulationibus atque inerte vite statu, quam ingredientem mundum hæc omnia sustinere; vel certe quod in morte quales simus notum sit, in exordio vero nascenti qui futuri sumus ignoscitur; aut quod natiuitas alliget corpori libertatem anime, mores resolvat (1).»

Hinc et Chaldaeus, cum nomen bonum justorum comparasset unguento regum et sacerdotum, subdit: «Et dies quo moritur homo, et vadit in domum sepulture in nomine bono,» g. d. Vir justus et sanctus variis virtutum meritis fragrans non minus redolet apud Deum, angelos et sanctos, quam rex vel pontifex sacro chrismate inunctus, idque maxime feliciter peracto mortis agone, cum jam securus victor et triumphans pergit ad coronas et gaudia celestia: tunc enim virtutum suarum odore, fama et laude perfundit Ecclesiam militantem et triumphantem: totumque cælum et terram, juxta illud: «In memoria æterna erit justus.»

Proprie ergo dies mortis hic præfertur diei natiuitatis ob nomen et gloriam æternam, quam justo conciliet in cælis æque ac in terra: hoc enim significat «melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa; et (id est, sic et dies mortis) melior est «die natiuitatis.» Hinc sanctorum gloria incipit in morte, sicut florus et gemitus in natalitate. Quantum post mortem gloriam adepti sunt S. Paulus, S. Athanasius, S. Cyprianus, S. Basilius, S. Gregorius, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Francisus ceterique sancti, qui miraculis coruscant, ac templis, altibus, officiis, hymnis, canticis, organis, votis, statusis, concionibus, totiusque populi invocatione et cultu publice coluntur, honorantur, celebrantur? Quin et Romani præsi, ut viderentur defunctum post se suavem suarum virtutum memoriam famamque posthumam relinquere, in ejus regum mel et unguenta pretiosa ex cinamomo, cedro ceterisque aromatibus confecta infundebant, ut dixi *Ecl.* xlix, 2. Rursum in fomis spargebant flores et coronas, uti etiamnum faciunt christiani. Addebant ludos fimbres; pugnas gladiatorum, comœdias, etc. Accedebat denique, enœmia et orationes in laudem defuncti. Denique regibus, principibus ceterisque de reipub. a bene meritis summos honores decernebant, imo eos in deorum numerum pervehi solent (eius ritum describit Herodianus, lib. IV) referebant, eisque aras,

(1) Hic versus duas sententias seorsas, quæ sententiarum nexu inter se non coherent, habet. Ratio posterioris sententiæ est, quia dies mortis vite miseris et peccatis finem affert. Maurer aliter: «Sensus, ait, hamistichis posterioris: Dies vite supremæ die natali præstantior est, quia homo cogitatione dies suæpenti lætatur, ut de morte, quæ omnes homines minet, meditatatur cogit impellatur, ut in vivendo severitatem adhibeat, et vite sine tempore brevi vite avaritatem quæ res diæ natalis cogitatione non efficitur.»

templa, hostias et sacerdotes dicabant sacra-
bantque; unde vocabantur divus Augustus, D. Anto-
ninus, D. Adrianus, etc. In cuius locum Pontifices
christiani substituerunt canonizationem sanctorum,
qua vita functis velut sanctis publicis invocatio-
nis honos ab Ecclesia deferatur.

Porro Olympiodorus non tantum sanctis, sed
et impijs meliorem esse censet diem mortis die
nativitatis. Sic enim hanc gnomen explicat: «Nati-
vitas dies in turbulentum hujus vite pelagus
nos inducit, ubi draco latibulum suum posuit;
transitus vero dies e stadio nos abducit. Et si qui-
dem peccator fuerit, qui decedit, peccare ultra
jam desinit; qui vero fuerit justus, vita perfrue-
tur eterna.»

Sic Thraeces, teste Herodoto, fletu prosequen-
tur suorum natales, risu vero diem obitus. Audi
Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genal.* cap. xxv:
«Siquidem apud Thraeces Trausosque, ac Gestas et
Causianos assuetum erat ul, puero in lucem edito,
circumdati cognati, affinesque puerum lamenten-
tur, et afflicti jaceant. Ac recentes calamitates et
vite incommoda cui tantum resset malorum que
mox ille passurus advenit, plangunt. fidem in fu-
nere exsultantes jublant, scilicet cui defuncto
omnibus incommotis et infortunijs, que vita fert,
ex hac luce et imminetibus malis, atque omnis
sevitia fortuna tandem excedere datum sit. Quod
ab Indis quoque servari meminimus. Nam Gyn-
sophistes et Brachmanes caste et pie viventibus
diem natalem vite mortem ducunt.»

3. MELIUS EST IRE AD DOMUM LUCTUS (Syrus, *flendi*)
QUAM AD DOMUM CONVIVII: IN ILLA ENIM (quisque)
FINIS CUNCTORUM ADMONETUR HOMINUM, ET VIVENS CO-
GITAT QUID FUTURUM SIT. — Hebraea, in qua est (Ti-
gurina, *cernitur*) *fnis omnis hominis, et vivens potest*
ad corpus suum; Symmachus, attendet mente; Vatablus,
*et vivens perpendit mortem, cum illic venerit; Sep-
tuaginta, eo quod hic est fnis omnis hominis, et qui*
vicit dabit bonum ad cor suum. Bonum, scilicet
cogitatum et consilium de agenda poenitentia et
mutanda in melius vita, uti explicat Chaldeus;
*Syrus, et qui vivens est dabit bonum (Arabicus, bonita-
tem) cordi suo; Olympiodorus, utilis est ire ad do-
mum funebris luctus, quam ad domum convivii, pro-
pterea quod hic est futurus fnis omnium hominum, et*
vivens affert bonum in mentem suam; Campensis,
in illa enim videtur quem suam sit habiturus omnis
homo; Thaumaturgus, et satis fuerit lugere, quam
*convitari; et adesse merentibus, quam vino se obru-
entibus. Qui eni — fnem suum recte secum cogitavit, non*
tanto studio, et hujus vite sunt, complexatur.

Porro Chaldeus paraphrasice fuisse sic ver-
bit: «Melius est hominem molestia affectum, ut
eum consolens, adire, quam ad domum convivii
et pocolurum, in quo susurrone adsunt, contende-
re; luctuosa enim domus omnibus in scopum
et finem, ut eo proficiantur, proposita est: om-
nibusque mortis decretum statutum est. Igitur in
sereniosam domum recipiens vir justus, ad

poenitentiam adducetur, et mortis sermones
in animum inducet suum: et si aliquo in errore ver-
setur, illum deserens, ad Deum faciet conversio-
nem.» Pro *convivii*, Arabicus verbit, *compositio-
nis*; et hoc proprie significat Hebraicum *סעודה*
misit, et Graecum *επιμνησις*. Unde Cicero, *De Senec-
tute*: «Bene, inquit, majores nostri occupationem
epularum, quod amicorum et vite conjunctionem
haberet, *convivium* nominarunt melius quam
Graeci (potuit addere et *quam Hebraei*) qui hoc idem
tum *compositioem*, tum *convensationem* vocant, ut
quod in eo genere minimum est, id maxime pro-
bare videantur.»

Hec gnome parallela est et subalterna prece-
denti: «Melior est dies mortis die nativitatis.»
Hic enim recte subnectas: «Melius ergo est ire ad
domum luctus, quam ad domum convivii.» Jam
Chaldeus censet hic suaderi ut eatur ad domum
luctus, ad consolandum lugentem; alii, ad cele-
brandum exequias et funus defuncti. Hoc enim
est ultimam opus pietatis amico prestandum,
juxta illud *Tobiae* iv, 18: «Pancm tuum et vinum
tuum super sepulturam justi constitue.»

Rursum alii hanc gnomen noctentem precedenti
exponunt, *q. d.* Dies funeris et luctus melior est
die convivii: quia in illo laudantur virtutes de-
functi, nomenque et fama ejus celebratur et pro-
pagatur, que potior et prestantior est omni vo-
luptate, que ex delicijs convivii percipitur.

Verum ratio, quam subdit Ecclesiastes, alio nos
ducit, quam ita in *Comment.* reddidit S. Hierony-
mus: «Quia ibi recordatione conditionis nostrae
et fragilitatis humane, ex presenti cadavere com-
moneamur; nam quisque sibi a defuncto tacito
diei censet: «Memor esto judicii mei: sic enim
erit et tuum: mihi heri et tibi hodie,» *Eccli.* cap.
xxxviii, 23.

Sensus ergo est, *q. d.* Quia melior est dies mortis
die nativitatis, hinc consequenter melius est ire
ad domum funebris luctus, quam ad domum
convivii natalitii, quod scilicet celebratur ob na-
tum infantem et filium: quia in illa ex spectacula
funeris et defuncti homo admonetur mortis suae,
ut cogitet se propediem simili modo moriturum
et funus futurum, ideoque ad illud honeste vi-
vendo et bonis operibus incumbendo sese pre-
paret et disponat; in hac vero delicijs, vini et
gaudijs sermonibusque vanis dissolvitur animus,
et ad crapulam omnemque levitatem, dissolutio-
nem et intemperantiam impellitur. Porro convivium
in natalitii festiva celebrare ob gaudium nati filii
commune fuit Hebraeis, Romanis, Graecis ceteris-
que nationibus, ut patet ex convivio Abrahae in
ablaetatione Isaac, et ex Plutarcho, *Cicerone*,
Athenaeo, lib. IV, et alijs.

Hujus sententiae veritatem expertus est nostris
B. Hieroniscus Borgia tertius Societatis Jesu Gene-
ralis, qui cum esset dux Gandiae, jussu Caroli
V, ducens corpus Isabelles imperatricis defunctae
ad locum sepulture, aperto sarcophago, corpo-

From
Paris
Biblioth.
Mazarin.

ris, dum viveret pulcherrimi, feditatem hor-
roremque intulit, compunctus statuit ducatur
mundoque valdeioris, ac religiosam vitam com-
plecti.

Sic S. Brano in funere Doctoris Parisiensis, au-
diens eum e fetro surgentem et proclamantem:
«Justo Dei judicio accusatus, judicatus et con-
demnatus sum,» in eremum secessit et ordinem
Carthusianorum instituit. Sic Josaphat rex, visis
senibus et egris brevi moriturus, ab iis discens
sibi quoque esse moriendum, a Barlaam ad ve-
ram fidem et vitam eremiticam est tractus, ut
narrat Damascenus in *Histor.* cap. v. Auctor serm.
ad Fratres in eremo, apud S. Augustinum, *serm.* 48,
asserit se, viso Caesaris cadavere putri et vermi-
noso, mire fuisse commotum et compunctum.
S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandriae
sepulchrum sibi fieri curavit, sed imperfectum,
et monitorem constituit, qui quotidie sibi in au-
rem suggereret: «Monumentum tuum usque ho-
die est imperfectum, domine, jube ergo illud
perfecti; incertum est enim qua hora vir ingre-
diatur, nempe mors.» Itaque Leonius in ejus Vita.
Carolus Quintus quoque annis ante mortem sar-
cophagum sibi fieri jussit, eumque cum funebri
suppellectili secum quoecumque pergeret, depo-
nari, ut eum quotidie intuens jugiter sibi mortis
memoria representaret, que eum a peccatis
cohiberet, et ad opera sancta instigaret, uti re-
fert Lipsius, lib. II *Mom.* cap. xiv, ubi simile nar-
rat de Maximiliano Iavo Caroli Quinti. Vide Cli-
machum, *gradu* 6, qui inter cetera ait: «Pro-
batus quidem ille est, qui mortem singulis die-
bus expectat; sed ille sane sanctus, qui hanc
singulis horis desiderat.»

Hinc Aegyptii in convivio, ut eorum luxum,
mentis dissolutionem et gaudia temperant, cir-
cumferantur cranium mortui convivis insusuran-
tes: «In hanc figuram respice; similis enim illius
eris,» teste Herodoto, lib. II. Porro mira est ho-
minum caecitas, ut eum eant ad domos luctus,
ac videant alios quotidie mori, sciantque se pa-
riter morituros, tamen de morte sua non cogi-
tent, nec ad eam se preparent, quasi illa longe
absit, cum sepe sit vicina. Causam dat S. Ephrem,
serm. De Recordat. mortis: «Negligentes, ait,
et contemptores, obereant cum sint peccati fraude,
diebus suis procedentibus, existimant procul ab-
esse mortem horum, nihil de suo hinc exitu labo-
rantes; verum annos multos et tempora longa
sibi praescribunt. Similes autem sunt eorum qui
nocte intempesta iter suscipiunt, qui quidem ar-
bitrantur procul abesse ab imminente precipitio
et praeprulo loco donec, praecipitatis ipsis, expo-
nientia dubitationem solverit. Qui igitur vite hu-
jus fallaciam mundo mentis oculo perspexerit,
et sublimior his effectus qui in hujus vite rebus
studium atque operam ponunt, intelliget omnino
quod, sive etat, sive bibat, sive dormiat, sive la-
boret, sive contempletur, omni die ac hora ad

senium et finem temporalis vite a natura impel-
latur; unde tanquam stercora atque quisquillas
quoscumque despiciat, studeat ab hujus vite af-
fectione seipsum avocare, ut uliam cum rebus
humanis societatem habeat.»

Hic est paralogismus diaboli, qui plurimos se-
ducit, nimirum quolibet anno persuadet homini
illum hoc anno non moriturum: dicit enim illi:
Facile potes adire per annum vivere; ad hoc tibi
suppetunt vires sat valide; ergo hoc anno non
morieis. Idem dicit persuadet homini anno
sequenti, et tertio, et quarto, ac singulis sequen-
tibus, quo fit ut homo nunquam se ad mortem
paret, putans se illo anno non moriturum: ita
fit ut annus morti a Deo decretus adveniat, ac
mors hominem imparatum et incogitantem invad-
at. Remedium hinc assignat S. Ephrem, *tract.*
De Vita Spirit. num. 40, ubi suadet omnibus vi-
vam presentemque memoriam mortis: «Beati,
ait, qui lugent, quia consolabuntur. Inclinemus
nos ad sepulchra et conditionis nostrae occulta
perspiciamus. Ex cadaveribus permixtos ossium
aeceros, cranique carnis exuta cum reliquis
ossibus cernemus. Et hinc considerantes, nos ip-
sos in illis velut in speculo quodam contempla-
bimur. Ubi juvenutis flos et pulchritudo? ubi
venustus ille genarum color? Hec nobiscum co-
gitantes carnis desideria fugiamus, ne in resur-
rectionis ac judicii die confundamur.» Et num.
45: «Quotidie diem mortis tue expecta, et ad
ingrediendum illud iter te para: qua enim hora
minime putas, veniet mandatum horribile, et ve-
tine imparatis! Bona est compunctio cordis,
quoniam animis hominum medetur. Qui luctum
seclatur, non facile peccabit, et qui cordis com-
punctione tangitur, non cogitat mala: nam ex
compunctione oritur fletus; in fletu autem a pec-
catis declinamus.»

Ex hac gnome colligit S. Hieronymus, Olympi-
piorus et S. Gregorius, IV *Dialog.* iv, Ecclesiastem,
cum superius cibum et potum laudavit, id
fecisse, non ut voluptatem gulamque commen-
daret, sed ut temperantiam honestamque ejus
usum avaritiae et nimis paritatis praeferreret. Pul-
chre S. Chrysostomus, homil. 62 ad *Populum*, du-
plicem domum, scilicet luctus et gaudij, depin-
git: «Et si vultis, inquit, duas domos describamus,
hanc quidem nubentium, hanc vero lugentium;
mente utramque ingrediamur, videamus
utra melior. Invenietur enim lugubris sapientia
plena, nuptialis autem plena confusio. Nam
vide turpia verba, incompósitos risus, incom-
pactiores locutiones, et vestis et incessus defor-
mitate plenus; verba multe fatuitatis et stultitiae
plena, et aliud omnino nihil; risus omnia et de-
risio, que sunt illic; tunc nuptias dico, absit,
sed que sunt in nuptijs; tunc natura debaccha-
tur, bruta pro hominibus sunt praesentes: hi qui-
dem, sive etat, sive bibat, sive dormiat, sive la-
boret, sive contempletur, omni die ac hora ad

diaboli pompa, cymbala et tibie, et cantica fornicationis et adulterii plena. At non ita illic ubi luctus: omnia composita, multa requies, silentium nullum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompositum; si quis aliquid locutus fuerit, omnia sunt verba philosophi: plena. » Vide eundem, homil. 13 ad Populum.

Mysice, domus luctus est passio Christi, hujus enim meditationi utilis est se dare, quam quibusvis gaudiis non solum carnalibus, sed et spiritalibus: Christi enim passio sopit tentationes gula, libidinis, irae, superbiam omniumque vitiorum; animat ad patientiam in cunctis adversis, excitat ad fortitudinem, charitatem ceterasque virtutes. Unde martyres stimulo et exemplo passionis Christi excitabantur ad superandos equales, ignes, bestias omniaque diaboli tormenta, ut Christo vicem rependerent, et amorem amoris, vitam vitam, mortem morti redderent. Rursus domus luctus est contritio et compunctio cordis, qua nihil est melius, id est nihil utilius, nihil auctius; et quod mirum est, nihil jucundius, uti norunt experti: suavissima enim animae est contritionis dolor, suavissima compunctio lacrymarum superans omnes mundi delicias, de quibus Christus Matth. v: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. » Vide Climachum, grad. 7, et S. Basilium De Gratiarum actione, ubi pulchre combinat luctum sanctum cum gaudio, ostenditque beatos esse eos qui lugent, et tamen iocundum mire quoque gaudere. Causam afferit, asserens sanctorum luctum et lacrymas a fervore charitatis prosilire, qua toti erga Deum flagrant; simul et de conservorum peccantium damno, sed citra propria damnorum lætitudine, ut contingit lætis de sua in litore salute, qui dolent simul iacturam eorum, quos marinis fluctibus immergi conspiciunt. Igitur luctus hic exhilarat, tum quia manat ab amore; tum quia signum est pure sancteque conscientie, quæ semper læta est quasi iuge convivium; tum quia certam dat fiduciam promissæ a Christo consolationis et gloriæ æternæ. Hinc S. Chrysostomus, in 1 ad Timoth. hom.

4, docet domum luctus esse monasterium, ubi est iugis meditatio mortis, cinis, cilicium, solitudo, jejunia, chameunia, luctus sine risu. Idem, eor. 20 ad Populum: Vere, ait, legendi domus est monasterium, ubi saccus, et cinis, et solitudo; ubi risus non est, neque secularium turbulenti negotiorum; ubi jejuniis, et stratum humi cubile, omnia pura a midore, cruribus, tumultu, perturbatione et vexatione; portus est tranquillitas; eunt tanquam faces ab excelso loco procul adveniensibus lucenas: in portu sedentes, et omnes ad suam trabentes tranquillitatem, neque sinentes fieri naufragia ad se respicientes eo contenti; in tenebris non permittentes versari. Ad eos ubi hospitare, accede, sanctos tange pedes. Multo namque honestius est illorum pedes tangere quam aliorum caput. »

4. MELIOR EST IRA RISU: QUI PER TRISTITIAM VULTUS, CORRIGITUR ANIMUS DELINQUENTIS.— Ex ratione subjecta patet sub ira intelligi tristitiam. Hæc enim due passionis sunt, imo sorores ex eadem matre, scilicet odio mali nascentes ac se mutuo comitantibus. Unde Campensis vertit, *melior est tristitia quam risus*. Unde et Septuaginta, *beata ira super risum, quia in malitia* (pro *causa*, id est *malitia*; Aquila legit *causam*, id est *afflictione*; velus *translatio, merore*) *vultus bonum fiet, vel bonificabitur cor, id est iucundabitur, vel emendabitur cor, uti legit verus translatio. Complutenses, honorificabitur cor*; Thaumaturgus, *anima ad rectum honestumque componitur*; Campeasis, *cor admonetur officii sui*. Pro ira Hebraice est *צרה* *causa*, id est *indignatio*, fervens ira. Unde Syrus vertit, *melior est furor risu, quia per malitiam faciei melius efficitur cor*; Arabicus, *nam per malum faciei sanatur cor*; Tigurina, *melior est indignatio risu, quia tristitia pariet luctum cor; alii, exhilarabit cor*. Jam ad sensum.

Primo, Chaldaeus hanc gnomen accipit de ira non hominis, sed Dei. Unda vertit, *melior est indignatio, qua indignabitur Dominus mundi adversus justos in saeculo hoc, quam risus quo ille deridet impios*. Dum enim contristatur vultus iustitiam, venit penuria et vindicta in saeculum, ad bonum cor iustorum, qui orantur ante Dominum mandati, et ipse miseretur ipsorum.

Secundo, Symmachus vertit, *melior est ira risu, quia per tristitiam melior fiet animus, scilicet ejus qui affligitur tristitia propter Deum, qui que aliorum suffert iras, juxta illud: « Quasi tristes, semper autem gaudentes. » Il Corinth. vi, 10. Et Thaumaturgus: « Sed et risu, ait, preferenda est ira prudens, et tempestiva indignatio: quandoquidem severitate vultus corrigitur anima. Et hæc causa est, ob quam sapientum animæ contractæ sunt ac tevice, insipientium vero elate et effulse. » Et S. Hieronymus: Risus, ait, dissolvit sapientem, ira corrigit et emendat, irascamur et nobis, si quando peccamus, irascamur et aliis: per tristitiam quippe (ira mixtam) melior fiet animus. »*

Tertio, Hugo Victorinus physice hanc gnomen explicat, q. d. Melior est ira et tristitia risu, quia tristitia calorem et spiritus revocat ad cor, itaque illud roborat, attentumque et vegetum efficit ad omnem honestatem et virtutem: lætitia vero et risus calorem, et spiritus a corde ad partes externas avocant, itaque illud dissolvunt, enervant, debileque et languidum reddunt, ut ad opera fortia sit impotens et ineptum.

Quarto, noster Pineda per iram accipiens tristitiam, hanc gnomen necit præcedenti, quasi ejus det causam, q. d. Melius est ira ad domum luctus, quam ad domum convivi; quia domus luctus salutarem incit homini tristitiam, que risu et gaudio longe utilis est. Cadaver enim est quasi mutus doctor docens hominem sapere, vanam vitam contemere, meditari mortem, vitam

carnis fugere, studere continentie. Sua enim labe, putore, vermibus, vivandium mores carnales et frigus arguit et obfuscat. Qua de causa prisca solebant cadaver, gravi pulloque habita vestimento, ante ostium in vestibulo domus collocare, teste Suetonio in *Augusto*, ut omnibus transeuntibus salutarem luctum veramque morum mutandorum philosophiam ingereret. Verum Hebraicum *צרה* *causa* proprie significat iram, indignationem, furem, ut vertunt Septuaginta, Syrus, Arabicus et ceteri; non tristitiam.

Quinto ergo, proprie et genuine Noster vertit, *melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis, vel subditi, vel socii: loquitur enim de ira, non qua quis sibi, vel damoni, sed delinquenti irascitur; illi quo vultum severum, tristem, iratum ostendit, ut ejus delictum castiget et emendet, q. d. Melius est indignari peccanti, quam aridere. Salius est delinquenti irasci, ejusque delictum vultu, verbisque gravibus, severis, mordacibus instat laxivii castigare et eluere, quam risu illud fovere et augere. Ita S. Hieronymus, Salomus, Olympiodorus, Lyranus et alii passim. Occasione enim domus luctus, de qua vers. præced., pergit ostendere tristitie luctusque commoda. Hanc gnomen esse veram patet in detractio; hanc enim dissipat vultus tristis, foveat luctus, juxta illud *Proverb. xxv, 23: « Venatus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahet. »* Idem patet in educatione filiorum et filiarum, de qua *Ecclesi. cap. vii, 26: « Filie, ait, tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas; »* et *cap. xxx, 9: « Lude cum filio, et contristabit te. »* Hanc esse sensum liquet ex eo quod se explicans mox subdit Ecclesiastes: « Melius a sapiente corripit, quam stultorum adulatione decipi; quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti (1). »*

Hinc Isidorus Pelusiota, lib. III, *epistol. 338*, docet iram subinde esse bonam et optem virtutis, ut cum quis peccatis et peccatoribus irascitur, eosque arguit et punit, ut fecit Moses, *Exodi xxxii*, occidens adorantes vitulum aureum; et S. Petrus occidens Ananiam et Sapphiram volutragos, *Act. v*; et Paulus fornicarium tradens Satanæ, *II Corinth. ii*: cum ex adverso Heli filius delinquentibus non irascens, sed dissimulans et aridens, cum filiis a Deo punitis sit morte, *I Reg. cap. iv*. Frelati ergo, qui carent ira ad arguendum peccantes, inepti sunt ad regimen, dum omnibus se placidos exhibent, uti docet S. Gregorius, III parte *Pastor. cap. xvii*, ubi pulchre ostendit in regendo mansuetudini jungendam esse severitatem, ut una alteram temperet et frenet, vel acuat. Hinc illud: « Qui bilem non habet, cor non ha-

bet. » Ita Paulus cum increpasset Corinthios quod in cæta suo tolerassent fornicarium, hujus increpationis iræ et tristitie fructum ostendit, dicens, *II Corinth. vii, 8: « Quoniam estis contristati vobis in epistola, non me penitet; estis penitentes, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad penitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed emulationem, sed vindictam: in omnibus exhibitus vos, incoartaminatos esse negotio. »*

Moraliter, disce hic sapientes et sanctos multo vultu esse gravi ac severo, ac abdicare a se omnem levitatem et risum. Sic de S. Martino legitur: « Faciem ejus non fuscavit meror, nec levigavit risus. S. Bernardus in formula honeste vite ita sancit: « Risus tuus sit, ut indicans honestatem animi, aut provocans, rarus tamen. Et ipse sit quidem eductus interdum, effusus nunquam. » Idem, De Inter. domo, cap. lxx: « Ubi risus et jocus abundant, ibi perfecta charitas non regnat. Si sanctimonialibus perfecte Christum diligere, non rideret sed cum desiderio illius indesinerenter ploreret: quia qui perfecte Christum diligit et timet, non ridet, sed amore ejus loget. » Idem, serm. 4 De Adventu: « Christum super Lazarum et super civitatem flevisse, et in orationibus pernoctasse legitimus, risisse vero aut iocatum nusquam. » De ipsomet S. Bernardo scribit Auctor Vita ejus, lib. III, cap. ii: « De risu dicimus, quod ex ore ejus frequenter audivimus, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, non meminisse se a primis annis suæ conversationis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret; et risu suo stimulum magis adhibere quam frenum. »

5. COR SAPIENTUM, UBI TRISTITIA EST, COR EST STULTORUM UBI LÆTITIA.— Hebraea, *cor sapientum in domo luctus, et cor stultorum, sive stultorum, in domo gaudii* (2); Arabicus, *in domo lætitiarum*; Campensis, *in domo convivi*. Hæc gnomen sequitur ex præcedentibus. Cum enim melior sit domus luctus domo gaudii, et tristitia risu, sequitur sapientem, qui vere cognoscit eligere quod est melius, nulle domum luctus, veluti scholam sapientie; stultus vero domum gaudii, velut ludum dissolutionis et stultitie; quare hæc gnomen sat clara est dictis paulo ante, et cap. ii, 1. Jam Primo, Chaldaeus uti præcedentem gnomen, ita et hanc explicat de compassione et consolatione

(1) Hebr. est, *melior est tristitia quam risus, nam in tristitia facies bonum est cor, vultu habitaque auctero et severo, qualis decet virum gravem et sapientem, bene se nanet animus, est tranquillitas, nec pravis libidinis affectibusque exagitur.*

(2) Intelligi, *assidua meditatione terrarum.*

legentium, filamque arctat ad luctum eversi templi. Sic enim habet, *cor sapientum triste propter destructionem domus Sanctuaris, et propter captivitatem populi domus Israel, et cor stultorum in gaudio domus divisionis eorum; comedunt, et bibunt, et deliciae affluunt, et non ponunt in corde suo afflictionem fratrum suorum.*

Breviter ergo sensus erit, *q. d.* Sapiens vadit ad lugentes, ut bene de eis mereatur, eos solando, instruendo, iuvando; stultus vero vadit ad gaudentes, ridentes, comessantes, ut se deliciis et gaudiis oppleat.

Secundo, Olympiodorus asserit sapientes lugere ob instantem mortem, stultos vero in vanis vitæ voluptatibus exultare. Sic enim ait: « Vir sapiens est funebri luctu, secum animo deputans sese natum de corruptibili carne brevi ex hac vita migraturum: mortales cæteros, qui eadem sunt natæ conditione, affectu pio prosequitur. Contemnit autem quæcumque suis oculis obversantur, ut casui mortique subjecta. Stultus autem cum mentis hebetudine solida putet esse quæ sunt in mundo, neque illorum mutationem intelligat, proptereaque futuri exitus sit securus, deliciis affluit, voluptatibus indulget. »

Tertio, S. Hieronymus accipit de his qui gaudent agere cum iis qui se delinquentes corripiant, eorumque delicta lugent, ut Samuel iugebat casum Saulis, I Reg. cap. xv, vers. 35 et 36. Paulus iugebat eos qui non agebant penitentiam, II Cor. cap. xii, 21; cum ex adverso stultis magis placeant assessoriales et irrisores. Audi S. Hieronymum: « Cor igitur sapientis vadit ad domum talis viri, qui se corripit delinquentem, ut adducat ad lacrymas, qui provocat propria lugere peccata, et non eat ad domum lætitiæ, ubi doctor adulatur et decipit; ubi non conversionem audientium, sed et plausus querit et laudem. Talis præceptor plangitur, dives in sermone, non dives in opere, qui quia saturatus est, propterea recipit consolationem suam. Denique huic oppositioni etiam sequentes versiculi concordant. »

Quarto, plene et adequate Thaumaturgus hanc gnomen generationem de quovis pio luctu et quavis lætitiâ vanæ accipit; ait enim: « Et hæc causa est ob quam sapientum animæ contractæ sunt ac tetricæ, insipientium vero elatæ et effusæ, » scilicet quod severitate vultus corrigatur anima, ut præcessit, risu vero dissolvatur.

Igitur melior est luctus lætitiæ, sive lugeas tua peccata, cupiditates, passiones et miseras; sive aliena, quibus totus mundus plenus est: quare sapiens in hac valle lacrymarum lugendum potius censet, quam vanæ gaudendum, præsertim quia vidit plurimos in infidelitate et sceleribus vivere, ac rueri in gehennam et damari. Contra stultus inepte se dat lætitiæ, risibus, jocos, conviviis, tripudiis, etc. Breviter universa stringendo sensus est, *q. d.* Sapiens gaudet reprehendi de erratis suis, gaudetque severitate vi-

te, gravitate vultus, maturitate verborum et actionum, atque studet compunctioni et austeritati; stultus vero gaudet adulationibus, deliciis, omnique voluptate et dissolutione. Sapientia enim non « invenitur in terra suavisiter viventium, » ait Job, cap. xxviii, sed insipientia et stultitia; quia, ut explicat S. Gregorius: « Qui in hoc mundo suaviter vivunt, » ita adhuc « stulti sunt, ut hoc ipsum quoque nesciant, unde ceciderunt. »

Sic S. Arsenius iugiter iugebat lacrymisque diffluebat. Sic et S. Ephrem, cujus omnes tractatus non nisi pium luctum et lamenta resonant. Ratio a priori est, quod sapiens in domo luctus discat sapientiam, id est gravitatem, modestiam, continentiam, refrenationem concupiscentiæ, patientiam, constantiam, charitatem omnemque virtutem: stultus vero in domo gaudii discat suam stultitiam, id est dissolutionem, levitatem, gulam, crapulam, luxuriam omnemque intemperantiam. Audi S. Chrysostomum, homil. 62 ad Popul.: « Ubi namque tristitia, ibi prorsus et philosophia. Qui antea dives erat et nullum timidus, post luctum quemlibet se sustinebit alloquentem: postquam timor et tristitia, quia quidam acrior ignis in ipsis incidit, animam et duritiam emolliet, tunc humilis fit, tunc exorabitur, tunc mundanam sentit mutationem, tunc ad omnia patiens erit. In theatro autem omnia contraria, risus, ineptitudo, diabolici fastus, effusio, temporis impendium et superflua dierum consumptio, male cupiditatis inductio, adulterii meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantia schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exempla. At in carcere non ita, sed illic humilitas, supplicatio, philosophiæ profectus, sæcularium contemptus, omnia conculcata sunt et contempta, et tanquam infanti pædagogus adest timor, ad omnia congrua dirigens eum. »

Symbolice, ibidem S. Chrysostomus ex hæc gnome colligit domum luctus et consequenter sapientiæ esse adversitates et tribulationes, ut sensus sit, *q. d.* Sapiens gaudet adversis, in iisque quasi in domo sua commoratur; stultus vero lætis et prosperis, quia « gaudet adversis agitata virtus: » per adversa enim firmatur, roboratur, crescit, perinde ac arbores ventis agitate magis se firmant, altioresque agunt radices, natura id eas docente, ut contra hostem suum, puta ventum sese muniant et arment. Hoc est quod ait S. Jacobus, initio *epist.*: « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias inciditis: scientes quod probatio fidel vestre patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: ut silis perfecti et integri, in nullo deficientes. » Vide ibi dicta.

Tropologicè S. Gregorius, libro XVIII *Moral.* cap. lxxxiv, ait iustos lugere, quia nullam sæculi lætitiâ admittunt, anhelantes ad Deum et gaudia cælestia, ideoque gemere ac dicere cum Psalte: « Reverti consolari animæ meæ; memor

fui Dei et delectatus sum, » *Psal.* lxxxvii, 3. « Hæc est igitur, ait, amaritudo sapientum, quia dum spe in alta erecti sunt, nullis hic gaudiis animam sternunt. Hinc enim scriptum est: Cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia. » Rursum S. Bernardus, *De Gradibus superbiæ*, tertium gradum ponit ineptam lætitiâ: Proprium, ait, superborum est læta semper appetere et tristitia devitare, iuxta illud: Cor stultorum ubi lætitia. » Ejus deinde hæc dat indicia: « In signis securitatis, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessu; pronus ad jocum, facilis ac promptus in risu. Conetis quippe, quæ in se contemptibilia et ideo tristitia noverat, a memoria rasis, bonisque si qua sentit in se adnotatis, vel simulatis ante oculos mentis, dum nil cogitat nisi quod libet, nec attendit, si licet jam risum tenere, jam ineptam lætitiâ dissimulare non valet. Ut enim vesica collecto turgida vento, punctoque perforata exiguo, si stringitur, crepitat dum detumescit; at ventus egrediens non passim effusus, sed strictim emissus, crebros quosdam sonitus reddit: sic monachus, ubi vanis securitibusque cor suum cogitationibus impleverit, propter disciplinam silentii non inveniens ventus vanitatis quæ plenus egrediatur, inter angustias faucium per cachinnos excutitur. Sepe vultum pudibundum abscondit, claudit labia, dentes stringit, ridet non volens, cachinnatur invitus. Cumque os pugnis obstruxerit suis, per nares adhuc sternutare auditur. »

6. MELIUS EST A SAPIENTE CORRIPI, QUAM STULTORUM ADULATIONE DECIPI. — Hebræa, *melius est audire increpationem sapientis, super virum audientem canticum stultorum.* Ubi notat Thaumaturgus unum sapientem opponi et præponi omnibus stultis, *q. d.* Increpatio una unius sapientis præstat omnibus canticis omnium stultorum. Pro *canticum* Septuaginta vertunt, *carmen*; Syrus, *cantum*; Arabicus, *cantilenas*; Campensis, *qui patienter audit obijurationem sapientis, melior est quam is qui audit assidue cantilientem stultum.*

Igitur primo, Thaumaturgus et Olympiodorus carmen vel canticum stultorum accipiunt proprie pro suavi cantilena, quæ animum dissolvit et efeminat. Unde Thaumaturgus vertit, *hinc etiam longe optabilis est increpationem et castigationem unius sapientis ferre, quam totius chori improborum hominum cantu aures demulcentium fieri auditorem; et Chaldeus, melius est sedere in domo doctrinæ et audire increpationem viri sapientis in lege, quam vir qui ambulat ad audiendam vocem tripudii stultorum.*

Verum Noster recte per *carmen* vel *canticum* accipit *adulationem*, tum quia hæc directe opponitur increpationi; tum quia ipsa est canticum si renum compositum ad decipiendum audientem; tum quia carmina et cantica sæpe sunt mære adulationes fictique laudes audientium, præsertim divitum et potentum. Gnome hæc pertinet ad il-

lam vers. 4: « Per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. » Sapiens enim severo vultu et verbis arguit amicum, vel proximum delinquentem, ut eum emendet; stultus vero delinquenti adulatur et aridet, itaque eum in delictis fovet, præsertim dum vitia ejus vocat virtutes. Nam, ut ait Soneca, *epist.* 43: « Penebris suis titulo fortitudinis lætel, moderato vocifer ignavia, pro cauto timidus accipitur; in his magne periculo erratur. » Unde de talibus Isaias queritur, cap. iii, 12: « Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant; » et *Ezech.* cap. xiii, 18: « Væ qui consunt pulvillos sub cubito manus: et faciunt cervicalia sub capite universe lætatis ad capiendas animas. » Nam, ut pulchre ait Cassiodorus: « Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salvo dicit: prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos et graves; hæc sagitta leviter volat, cito infigitur. »

Igitur correptio sapientis est quasi sal, vel nitrum elens animæ morumque maculas, aut sicut absinthium, quod ori amarum est, sed stomacho suave, dum eum purgat, stringit et confortat. Ejus ergo amarities et fel desinit in mel suavitateque virtutis, consolationis et gaudii; stultorum vero adulationes sunt in aure mel, sed desunt in fel peccati, mortis et gehennæ: eo enim audientem deducunt, itque videntem et scientem; sæpe enim scit eos adulari et mentiri; videt enim in se non esse illas dotes quas illi adulantes attribunt. Quocirca S. Augustinus in *Psalm.* lix: « Plus persecutor, ait, lingua adulatoris, quam manus persecutoris. » Et Cicero, *epist.* I ad *Quintum fratrem*: Lanista, inquit, clemens adulator est, adulatio lethale mulsum, mellea præfocatio. Vide que de correptione et adulatione dixi *Proverb.* xxvii, 6, ad illa: « Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici; » et alibi sæpius. Adulatores ergo sunt velut sircus, quæ suavi cantu audientes incantant et necant; sunt sicut lamie et sagæ, quæ suis laudibus, velut veneficis, hominem fascinant et demerant; sunt sicut retia et laquei, quibus capiunt pisces et aves; sunt sicut vulpes, quæ cauda blandiunt gallinis, ut incautas capiant et vorent.

Melior ergo est increpatio sapientis canticis et adulatione stultorum, « quia hæc offeminat animum, illa colligit et confirmat, » ait Olympiodorus. Illa docet sapere, hæc desipit, et in errorem, scelus, mortem et gehennam inducit; quin et reipsa decipit, dum quos a fronte laudat et veneratur, a tergo vituperat et irridet. Audi S. Hieronymum ad *Rusticum*: « Ne credes laudatoribus tuis, quo irrisoribus aurem ne liberenter accommodes, qui cum te adulationibus fovet, et quodam modo impotem mentis effecerint, si subito

respexeris, aut clemenciam deprehendes post te
collis curvari, aut manu auriculas agitari asini,
aut estantem canis protendi linguam.»

Hanc gnomen festivo corvi et vulpis apologo,
belli parabolorum &c. jmis sententioso, venustat
Cyrillus, lib. II *Apol. mor.* cap. xxvii, ut litibus:
Contra eos qui appetunt adulatione laudari: «Corvus,
inquit, reminiscens priora facinora sua, subtiliter
fraudes et magnas calliditates suas, hinc fustu
timidus et adulationis avidus, cepit auram
laudum querere. Cum igitur adulationis cupidus
invenisset vulpem sub umbra refrigerio quiescentem,
post salutationis officium, interrogatus ab ea
quid quæret, respondit: In bonis meis
laudum procerem mearum ob inimicam invidiam
non inveni; cui illa ingeni sui calliditate subtili,
quod vellet percipiendi, amentem deridens sic dixit:
Satis video, quod ubi superbia tetra vecondia
nube mentem obnubilat, cuncta sagacitas parum
juvat. Nimirum factus es vacuus, postquam
suscepere cupis ventum. Hunc enim folles, cum
inanes sunt, attrahunt, et eo vacui rox replentur;
juxta certe mortis factus es hospitem, quoniam
vane laudationis pestiferum sitis flatum.»
Deinde variis emblematicis adulationis vanitatem
et nam quærendam depingit: «Quid enim est adu-
latio aliud quam astri nascentis aura lucida, septen-
tonnalis procella, melodia sirenica, cantatio
lethifera, fallacia fistula, et vox hyemæ valde
menax. Siquidem dum suavi sonitu auris tympanum
percussit, lucem rationis exstringit, flata
draconeo sereno virtutis corrumpit, ac brutino
deute nihil in anima viriditatis reliquit. Dulciter
sonat, suaviter intrat, lethaliter occupat, irremedialiter
totum vastat. Sed crede mihi, deterior
est dulcis cantus adulationis, quam amarus morsus
deceptionis. Nam adlatio bona introra perdit,
detrahit vero tantum exteriora; illa substantiam,
hec famam inficit; illa volentem percussit,
hec remittentem foris; illa semper, cum placuit,
noctat; hæc ad meliorationem sæpe, si est patiens,
prædit. Ad dilemma, quo dicta ratione a priori
demonstrat: «Ceterum aut tecum habes laudationis
materiam, aut non habes; si hæc habes, cur
cur medicas cum diversis, et vis a vento habere,
quod in te continet a virtute? atamen si indignus
lauderis velat in irrocia, laus tibi fiet opprobrium,
et commendatio vertetur in confusionem. Mendax enim
laus vituperium est. Et eo ipso, quo quis ventose
laudis concepit appetitum, vera laudatione indignus efficitur, appetere enim laudari,
ædum superbie vitium est, quod dum spargi
delectis per apparatus diligenti, altissimum somper
natum et labium concupiscit. Scio tandem quod
maxima laus sit, linguæ vocis laudem spernere;
et solida gloria, mundane laus gloria fugere.
Tota namque res vere laudationis, est virtus. His
dictis auditoris appetitum in odium vertit.»

7. QUA Sicut risus (strepitus, fragor, crepitus,
aut verit Campensis et alii) SPINARUM ARDENTUM

SUB OLLA, SIC RISUS STULTI: SED ET HOC VANITAS. —
Auctor *Catenæ Græc.*: «Nam stultorum hominum
risus, expressa in præse ferti imago spinarum
multarum, quæ, dum flammam concipiunt, cre-
pero strident sonitu, hincscuntque tote.»

In Hebræo est pulchra peronomasia. Aut enim:
וְשֵׁחַר, id est canticum sirenum, puta adulatione
stultorum, simile est *סִרְיָם* sirim, id est spinis,
sub *וְשֵׁחַר* str, id est olla crepitantium, q. d. Sicut
sonitus spinarum ardentium sub olla crepitantium
molestus est, brevis, fumosus et inutilis: ita
blandæ adulationis voces moleste sunt, cito desinunt,
mentem obnubilant, ac mox in dolorem et
amaritudinem conscientie, atque in tormenta
presensia et æterna gehennæ vertuntur. Ita Olympiodorus et S. Hieronymus.

Igitur cantica et adulationes assentatorum recte
comparantur spinis sub olla crepitantibus. *Primo*,
quia sicut hic crepitus stridulus est, auresque ob-
tundit, nilque aliud offert commodi: sic probris
adulationum laudes non sunt nisi strepere voces,
et stridores inanes buccarum adulatione tumida-
rum et crepitantium, que viris cordatis ingrate
sunt et moleste. Unde sicut ex crepitu spinis, sic
ex adulatione stultum agnoscat, ait Olympiodorus.
Rursus risus stulti sonorus, effusus et ca-
chiannus similis est sono spinarum stridentium
et crepitantium; utrinque ergo nil est nisi inanis
vocis strepitus et crepitus.

Secundo, sicut spina tangentem pungit, sic et
adulationes animam ledunt et auocant, dum eam
ad curas sæculi spinosus cohortantur, vel futuro
eam incendio preparant, ait S. Hieronymus.

Tertio, sicut spine implexæ implectunt manum
vestesque tangentis, sic et adulationes perplexæ
reddunt animam, multisque eam diffidulibus et
sceleribus involvunt. Unde Symmachus verit,
per vocem imperatorum vinculis quissiam colligitur,
hoc est, ait S. Hieronymus: «Ad vocem talium
preceptorum magis auditor innectitur, dum vin-
culis peccatorum suorum unusquisque constrin-
gitur.» *Proverb.* v. Iluc facit illud *Nahum* 1, 10:
«Sicut spine se invicem complectuntur, sic convi-
vium eorum pariter potantur: consumuntur
quasi stipula ariditate plena.»

Quarto, sicut spine flamma est subita, atque
illico eum sonitu trahit, sic et gaudium ex adu-
latione conceptum cum ea fitur et evanescit. Ita
S. Bonaventura.

Quinto, sicut spine exeat fumum, sic adula-
tionem obnubilat. Ita Olympiodorus.

Sæto et valde apposite, sicut flammæ spinarum
illico transiens et desinens, ollam et caras in ea
non calefacit, nec ab eis frigus et eradiantem au-
fert, sed potius per antiperistasmum illud auget: sic
et adulationes corda audientium dolore scelerum
et amore virtutum non accendunt, sed potius in
suo peccatorum frigore obdunt.

Septimo, sicut subita flamma spinarum statim
in favillas et cineres vertitur, sic adulatio sæpe

vertitur in irrisionem: quem enim adulates in
hæc laudant, hunc a tergo vituperant.

Plane contrarie sunt increpationes sapientum:
nam *primo*, modesta sunt et graves sine strepitu
et crepitu; *secundo*, pungunt ut sanent, non ut
ledant; *tertio*, sunt candidæ et libere, non im-
plexæ; *quarto*, constantes sunt et durantes; *quinto*,
mentem non obnubilant, sed illuminant; *sexto*,
eamdem amore Dei et virtutis accendunt instar
carbonum juniperi; *septimo*, nullam post se fa-
villam vanitatis relinquunt, sed semper sui simi-
les sunt in gravitate et ardore.

Denique Chaldeus verit, quid enim aliud est
vox stultorum risus et foæ agnitum, quam spina-
rum sub atheno ardentium quidam quasi strepitus et
sonus? et hoc quoque vanitas est. Unde S. Basiliius,
regula 17 in *fastis disput.*, censet hæc gnome dan-
nari risum immodicum prorumpentem in eachino-
corpore subsultante, velut constantie et gra-
vitati plane contrarium. Sic et S. Ambrosius, *Exhort.*
ad *Virgin.*, quem audi: «Quid autem idem
Ecclesiastes monuit nos omnes de immoderatione
rideandi, consideremus. Sicut vox, inquit,
spinarum sub olla, ita risus stultorum. Nempe
spine, cum ardent, sonant, et cito exuruntur, ut
nullus caloris sit effectus. Unde et de Judeis dictum
est: Exarsit sicut ignis in spinis. Exusti
sunt enim suo risu, et conflagravit in Domini
passione, quando in anime sue Jacobantur in-
cendium, dicentes: Speret in Domino, eripiat
eum, salvum faciat eum nunc, si vult eum. Et de-
ridentes percutiebant calamo caput ejus, et spinis
eum coronabant, atque acetum ei ut bibere offer-
rebant. Ille risus Synagoga incendit in æternum.
Sic ergo est risus stultorum, qui sine gratia so-
nat, et ollam sui corporis urit.»

SED ET HOC VANITAS. — Identidem hoc suum
thema vanitatis infert et ingerit Ecclesiastes. Sed
quid hæc? Campensis accipit increpationem sapientis:
hinc enim sua quoque inest vanitas vel
superbia, vel inefficacia, dum non corrigitur cor-
ruptis vel noxæ, dum sibi accersit odia et dama-
num. Melius referas ad risum stulti: hic enim vanus
est et ineptus. Et quia adulatione, ait Hugo Cardina-
lis, evacuat adulationem, atque illum cui fit adu-
latio.

8. CALUMNIA CŒTURBAT SAPIENTEM, ET PERDET
ROBER CORDIS ILLUS. — Septuaginta, quoniam calu-
mnia circumfret sapientem et perdit cor visceris ejus;
Aquila et Theodoretus, fortitudinis ejus, Complu-
tensis, generositatis ejus. Hoc enim est rā *עָרִיבָה*,
pro quo nonnulli legunt *עָרִיבָה*, id est bonum te-
norem, vigorem et constantiam cordis illius. Syrus,
quoniam accusatio perdit sapientem et perdit cor
dentium illius; Arabius, quoniam stultus convertit
mentem sapientis, dissolvit cor fortitudinis ejus;
Thaumaturgus, summum malum calumnia, qua sa-
pientiam maxime animabus insidiatur, generosam ac
densam illam virtutum syriacæ extirpare molitur.

Pro calumnia hebraice est *פָּרַח* ose, id est ca-

lumnia, item oppressio, et quævis injuria eiva
verbis, sive factis, puta vi et fraude fiat.

Pro conturbat hebraice est כִּוְּרָה *mehole*, quod
si accipias quasi postquam pro כִּוְּרָה *mehole* (lit-
tere enim ה ו י sunt affines et characteræ et sono-
utraque enim est nota aspiratiōnis) significat, do-
lore afficit, affligit, cruciat, uti partus cruciat par-
turientem; alioquin *mehole* proprie significat, do-
decorat, inglorium facit, delibet, perturbat,
obscurat. Radix enim כִּוְּרָה *hatal*, in *Piel* significat
laudare, celebrare, gloriosum facere; in *Poel* vero
significat contrarium, scilicet vituperare, villem,
inglorium, infamem facere. Aquila verit, solucet;
Chaldeus, desipiet; Pagninus, insanare faciet;
Tigurina, ad insaniam adigit; alius, errare facit,
ut sollicit per impatientiam aberet a sapientia et
virtute, labaturque in vindictam, cædem aliaque
seclera, uti insinuat Chaldeus; Syrus, perdit; Sep-
tuaginta, circumfret, circumagat, rotat; vulgo,
volta il cervello. Varietas hæc versionum gnomen
hanc valde illustrat, exaggerat, amplificat. Olympiodorus,
reazit; Arabius, convertit; Thaumaturgus,
insidiatur. Pro perdit rober cordis illius, he-
braice est, perdit cor domum; quod S. Hierony-
mus, Cajetanus et alii explicant, q. d. Domum per-
verit cor et mentem sapientis, juxta illud: «Ma-
nera excecavit oculos sapientium.» *Deuter.* xvi,
19. Verum hic non agitur de domis, sed de calum-
nia; quare melius explicat Tigurina, q. d. Calu-
mnia frangit cor sapientis præcedens dotibus or-
natum; et Campensis, mali, si oburgantur, per-
dere conatur eum qui cor habet tam insigni sapientium
dono exornatum; Chaldeus, sermone depravato pre-
cedens sapientis animi labefacta, qua a Deo calu-
mnia homini data est in domum. Unde Noster, Septua-
ginta, Arabius et Syrus, perdit rober, vel vigorem
cordis ejus; hoc ergo est cor domum vel cor domi
(utrobique enim modo veritas ab Hebræo), i. e. cor
donatum a Deo, multisque donis ab eo exornatum.

Hæc sententia uti et sequentes, licet ut dispa-
rate accipi possint, velut dogmata sapientie, tamen
cum præcedenti necesse potest, hoc modo, ut expli-
cet: sed et hoc vanitas, q. d. Inceptio delinq-
uentis facta a sapiente, licet sancta, suam tamen ha-
bet adjunctam vanitatem, scilicet quod delinquens
ab eo increpitus illi indignetur, utque illi tallo-
nem reponat; cum verum illi crimen obijcere ne-
queat, obijci falsum, fingitque in eum calumnia
quo eum affligit et turbat: Ita Cajetanus. Unde
Campensis verit, quia mali si oburgantur quod alio
opprimunt, affligunt sapientem; et Chaldeus, vi-
olentis quoque illudat sapientia, ut non ambulet in via
ejus. Alii hæc gnomen referunt ad vers. 2: «Me-
lus est nomen bonum, quam unguenta prelosa.»
Alii, q. d. O sapientis, monui te ut caveas a malis
nunc, nunc pariter moneo ut caveas illi oppositam
calumnia.

Minus recte Olympiodorus hæc gnomen sic ac-
cipit, q. d. Efron sapientis et perfecti pulsantur
absardis, impieque cogitationibus contra provi-

dentiam Dei, dum vident pios hic ab impiis affligi et opprimi. Melius S. Bonaventura eam accipit de colore sapientium dum vident proximos innocentes per calumniam vexari. Hic enim est zelus compassionis, quem habebat Apostolus dicens: « Quis scandalizatur, et ego non uror? » II *Corinth.* cap. xi. Optime eam accipias de calumnia et accusatione facta in ipsum sapientem; hæc enim sepe eum conturbat, cruciat et affligit. Ita Syrus, S. Hieronymus, Albinus, Salonius et alii (1).

Notat S. Hieronymus hanc gomen accipi de sapiente non perfecto, sed proficiente; hic enim per calumniam conturbatur: « Sapiens quippe perfectus nulla argutione indiget, nulla calumnia conturbatur, » sed eam constanti animo tolerat et superat, ut Apostoli « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine lesu contumeliam pati, » *Actor. v.*

Vis exempla? Accipe. Mosi irrogata fuit calumnia a Core, Dathan et Abiron, quod ambiret principatum sibi, et pontificatum Aaroni fratri suo, que eum pupugit et turbavit, iuxta illud: « Vexatus est Moses propter eos: quia exacerbaverunt spiritum ejus, » *Psalm. cv, 32*; præsertim quia per calumniam hanc excitatum est murmur populi; unde Moses questus est Deo magno animi dolore, dixitque: « Ne respicias sacrificia eorum, tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum, » *Num. xvi, 15*. Sic Jeremias prophetans Jerusalem trepidam Chaldeis, a Judæis calumnias juges audiebat, quod esset pseudopropheta, amicus Chaldeenorum, proditor patriæ. Unde assidue gemit et luget, uti videre est cap. x, vers. 11 et seq., cap. xx, vers. 8 et seq. Hinc et David orat, *Psal. cxviii, 134*: « Redime me a calumniis hominum: ut custodiam mandata tua. » Ubi S. Ambrosius: « Qui opprimatur, ait, calumnia, non facile potest custodire mandata divina; tristitiæ necesse est plerumque aut timori cedat et affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore. » Ita S. Basilius calumniam sibi de heresi impactam valde sensit. Sic enim scribit, *epist. 82*: « Ad hæc literas animatus, ut par frat, et ad tam inopinam ac subitam immutationem animo percussus, nec respondere quidem poteram: palpabat enim mihi cor, lingua me festinebat, et plane patiebatur quod animo solet parum fortis accidere: indicandum enim quod verum est, et tamen venia dignum. Deinde parum aberat quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspicite mihi fuissent omnes hominum mores, arbitranti in natura humana non esse « virtutis bonum, sed verba quædam plausibilia ad ornatum et cultum eorum, quibus uti velis,

(1) Fieri tamen potest, ut sapiens questus et lucri illiciter ad prava studia pellicatur, nam oppressio, seu captivitas per vim et oppressionem aliorum corradendi spes, a detur occasio, ad insaniam redigat sapientem, veritatemque cor ejus donant.

conficta; affectum vero illorum secundum veritatem non inesse cordi humano. »

Ratio a priori prima est, quod homo ex eo quod sit rationalis, ingenue et nobilis nature, summe appetat honorem et famam; hujus enim cupido illi intima est, ut qui illum tangit, tangat pupillam oculi, imo pungat medullam animi; quare multi malunt perdere vitam quam famam. Sapientis autem honor situs est in sapientia et innocentia; quare qui illum tangit per calumniam, pungit intima anime ipsius. Hinc *Ecclesi.* cap. xxvi, vers. 6: « Facies mea metuit calumniam mendacem. » Hinc adagia: « Invidia integritatis assela; calumnia dira pestis. » Hinc et emblemata cujus titulus: *Calumnia morsui nullum est remedium:*

Natura canelis prompta est medicina venenis:
Hæc superant ignis vulnera facta manu.
Quod semel emisse rabiosa calumnia virus,
Ante necat, quam tu fusa venena putas.

Secunda, quod calumnia sepe homini avari opes, libertatem et vitam. Calumnia enim violata edicii regit coniecit Daniele in lænem leonum. Calumnia adulteri adegit Susannam ad periculum necis infamis. Calumnia hostilitatis in Judæorum conficta ab Aman, Mardocheo et Judæis omnes addixit morti, ut patet ex libro *Ester.*

Tertia, quod calumnia viri sancti grave creet scandalum, ac impedit fructum coëtionum, lectionum, omniumque operum ipsius; quare illa tunc refellenda est, uti docet S. Basilius, *homil. De Invidia*, et S. Gregorius, *lib. VIII, epist. 45*. Ita Paulus calumniam pseudoapostolorum, suam doctrinam vitamque carpentium, confutavit, *II Corinth. x et xi*; ac Christus calumnias scribarum et phariseorum contra se jactatas assidue dissipavit, ut patet *Joan. v, 3* et seq.

Addo calumniam vix ita elui posse, quin nota remaneat. Quocirca Medius, Alexandri Magni parasitus, impium et diabolicum hoc consilium suis dabat: « Quodlibet crimen in quemvis intendit; ut maxime enim sanet vulnus, qui læsus est, manet tamen cicatrix. » Sicut sceleratus ille dux, potius latro, suis militibus dicebat: « Rapite, spoliæ tam amicos quam inimicos. Nam ut qui spoliati sunt, sic agant apud principem, ut resititire cogantur, semper tamen aliqua præde portio remanebit apud nos. » Hinc Thearidas eum gladium eote acueret, rogatus an esset acutus: « Acutior, ait, calumnia, » Ita Plutarchus in *Læon.*

Porro modi et media refellendi, vel superandi calumniam sunt varii. Primus est, si illam contrariis actibus, tuisque moribus refellas: accusaris quod sis superbus, gulosus, luxuriosus, avarus, etc. f. esto humilis, sobrius, castus, liberalis, ut omnes ex actibus tuis videant calumniam esse falsam; unde singularis calumnie confutatio est vite innocentia et sanctitas. Quocirca Demosthenes, teste Stobæo, *serm. 40*, dicitbat calumniam aliquantisper quidem audientibus mali suspicio-

nem ingerere; progressu vero temporis nil ea imbecillius esse.

Secundus, si Deo tuam innocentiam resignes, ejusque iudicium, quo tuam innocentiam declaret, efflagites, ut fecit David in *Psalmis*, ut *Psalm. xlii, 1*: « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso eripe me; » et *Psalm. vii, vers. 9*, et *Psalm. xlv, 1*, et *Psalm. xxxiv, 1* et 2, et *Psalm. xxxv, 3*. Deus enim innocentie est tutor et vindex; unde multis in hac vita, sed omnibus in die iudicii innocentibus, dramatis quasi nocentibus, innocentibus famam restituit. Dicit ergo cum Apostolo: « Mihi pro minimo est ut a vobis iudicor, aut ab humano die: qui autem iudicat me Dominus est, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc læus erit unicuique a Deo, » *I Corinth. iv.*

Ergo Deus innocentibus per calumniam læsis, vel etiam occisis famam restituit, uti restituit Danieli, Susannæ, Joseph, Mardocheo. Legimus in Vita S. Irenæ virginis et martyris Portugalis, quod ob calumniam fornicationis sit occisa, sed post mortem Deus ejus virginitatem revelaverit, eamque multis miraculis testatam fecerit. Adscripta est Sanctis in Martyrologio Romano die 20 octobris. B. Marina virgo, inter viros monasticen professæ, ac Marinum se nuncupans, a filia ab alio violata, fornicationis seculum commisse falso accusata, ac prole ei quasi patri tradita, ab Abbate monasterio ejecta, publicam egit penitentiam; sed post mortem per sexum agnita fuit ejus innocentia, ac calumniatrix correpta a diemone, non nisi calumniam confessa, ac ad sepulchrum Marinæ veniam petens, ab eo liberari potuit; quin et Deus pluribus miraculis ejus castitatem et sanctitatem comprobavit, uti habet ejus Vita sane admirabilis.

Tertius, si magno et infracto animo opinionens et dictaria hominum despicias, dicasque cum S. Augustino *epist. ad Secundianum*: « Senti de Augustino quod libet, sola coram Deo conscientia me non accuset. » Vis enim et noxa calumnie non in calumniatis, sed in patientis sensu consistit. Ostende ergo te eam non sentire, sed ridere, atque eam depulseris. Audi S. Chrysostomum, *homil. 2 ad Popul.*: « Sicut, ait, voluptas non in ciborum apparatu, sed in comedentium affectu sita est, hoc et contumelia dico, quod contumelia non a contumeliantium sententia, sed a patientium affectu constituitur vel destruitur: verbi gratia, multa quidam in te fanda atque nefanda contumeliose egit; si contumelias deriseris, si verbum non susceperis et vulnere superior sis, contumeliam non es passus. Et quemadmodum si corpus adamantinum haberes, etsi innoxeris undique telis percuteretur, non tamen vulnera reciderem; non enim a manu telis torquente, sed a corporibus patientibus vulnera fiunt: sic et hic non a contumeliantium insaniam, sed a patientium

contumelias imbecillitate injuriæ, et injuriarum contumelias constituuntur. Si enim philosophari sciamus, nec contumelia affici possumus, nec quidquam grave pati. Ille injuriam intulit: non sensit, nec doluit, non es injuriarum passus, sed et magis percontabit, quam percussus es; cum enim qui contumeliam intulit, plagam suam ad patientium animam non pervenientem viderit, ipse majorem in modum roditur, et factentibus contumeliam patientibus, sponte contumeliarum plaga contra mittentem conversa inferitur. » Quin et Aristoteles, teste Læctio, *lib. V*, absens a quodam maledictis læcessitus: « Absentem, inquit, etiam verberet. » Idem loquaci cuidam illi maledicenti, dicitentique: « Nonne te satis obtudi? Heracle, inquit, non tibi animum adverti? » Porro M. Antonium Imperator cognomento Philosophum, *lib. IX De Vita sua*, hoc remedium dat calumnia et impudentiæ: « Si cujus impudentia offenderis, inquit, statim percontare teipsum an possit fieri ut nulli sint in mundo impudentes; non potest autem hoc fieri, ne igitur postula id quod fieri nequit; est enim iste quoque unus ex impudentibus his quos esse in mundo oportet. Idem de versuto infideli, omni denique quocumque modo vilioso in promptu sit tibi cogitare. Nam si recorder necessario id genus hominum esse, singulis æquiorum te præbabis. Id quoque utile est statim cogitare quam homini natura virtutem contra id peccatum dederit. Remedium enim tribuit contra ingratos mansuetudinem; contra aliud vitium, aliud auxilium. Omnino autem licet tibi in viam reducere eum qui erravit; nam omnis qui peccat, eo errat, quod a proposito aberrat. Denique quid inde tibi damni allatum est? Invenies quidem nullum eorum quibus irasceris, tale quippiam fecisse quod mens tua sit futura deterior: atqui in hoc unico situm erat, ut malum tibi atque damnum accideret. Quid vero malum aut novum accidit, si indoctus homo agit suo modo? Vide ne tu tibi ipsi potius sis reprehendendus, qui non presens eris fore ut ita peccaret. »

Denique calumniam dulcorant Dei solatia. Experiencia enim constat viros perfectos, qui patienter, aut hilariter ferunt calumnias, sui contemptus, falsas accusationes, humiliactiones, mortificationes, persecutiones, injurias, miras a Deo haurire illuminationes et consolationes spirituales, sique ita subinde repleri et obrui, ut nolent calumniis carere, sed in illis quasi in epulis deliciantur et exsultent. Ita Abbaque apud Climacium, *gradu 4 De Obedientia*, in monasterio per quindecim annos assidue calumniis et injuriis exercitus, moriens dixit: « Gratias ago Domino, et vobis, Fratres, quod me ad salutem meam tentastis jugiter; hæc enim cx causa immunis a tentatione demonum hactenus mansi. » Macedonius vero cum similiter exerceri postulasset, et in novitiorum ordinem redigere, idque impetrasset, causam rogatus, hanc dedit: « Nunquam, inquit, ita

Calumnias dulcorant Dei solatia.

Modum refellendi calumniam. Primus.

Calumnias dabo coram Dei solatia.

me bello omni levigatum sensi, divinique luminis dulcedinem in meipso vidi. » S. Franciscus F. Leoni dixit: « Hec est vera letitia, si calumniis, probris et verberibus afflicti, hac omnia amore Christi libenter toleremus. » S. Ignatius, fundator Societatis Jesu, exsultabat in carcere in quibus per calumniam conjectus erat, dicebatque hanc esse veram viam ad sanctitatem et perfectionem, idque discrete docet Regula 14 Summaria Constit.

9. MELIOR EST FINIS ORATIONIS, QUAM PRINCIPIUM. — Hebraea, Septuaginta, Syrus et Arabicus, bonum est novissimum verbi pro principio ejus verbi, id est sermonis, vel rei. Sepe enim verbum metonymice pro re verbo significata sumitur. Unde Chaldaeus, melior est finis negotii, quam principium ejus: quoniam in principio judicari nequit quis tandem exitus consequatur; at rei optima eventus facile homini perspicitur, quam sit auspiciatus; Tigurina, postior extrema negotii pars principio; Campensis, melior est finis rei quam principium (1). Per orationem ergo non solum precem, ut Lyranus, sed et commendationem, lectionem, narrationem, exhortationem, et quemvis sermonem, imo quamvis actionem, quodvis negotium accipe; Thaumaturgus, sermo non in principio, sed cum ad calorem pervenerit, laudandus est. Nonnulli hac gnome idem putant dici quod illa dictum est vers. 12: « Melior est dies mortis die natalitatis: » hoc enim est principium, illa finis vite hominis; sed hoc notandum et longe postulum videtur.

S. Hieronymus hujus sententiae quatuor dat sensus litterales, et quantum mysticum. Primus est, inquit, q. d. « Meliores sunt in dicendo episcopi, quam exordium. » In his enim dicentis sollicitudo fiatur, in illo incipit.

Secundus, q. d. « Qui incipit audire sermonem, et ad praecceptorem vadit, in principio est; qui vero extrema audit, consummatus est atque perfectus. » Ita discipuli in scholis, qui finem Grammaticae, Rhetoricae, Logicae, Theologiae audiunt, doctiores sunt quam qui eorumdem principis aures operantur navant.

Tertius, q. d. « Hebraeus, ait, ita hunc locum cum sequenti versiculo disserit: Melius est te finem considerare negotii, quam principium, et patientem esse, quam impatientis furore raptum. »

Quartus, q. d. Melius est finire sermonem et tacere quam proloqui: « Disceamus, inquit, ex hac sententia nullam in hominibus esse sapientiam, cum melius sit tacere quam proloqui; et quia cum finita fuerit oratio, in ra semetipsum recogitat auditor quid sit dictum: cum autem ceperit loqui, nesciam quid utilitatis et recipit. » Ibi tacite insinuat vanitas sermonum et verum, mirum, quod, cum finiuntur et desinant, op-

(1) Recte. finit cognosci non potest, quo res sit delectata, aut opus aliquod; sed ubi finis cernitur, jam consilium intri potest, quomodo se gerere oporteat.

time sint, non autem cum sunt aut incipiunt.

Quintum adde, q. d. Melior est finis principii, quia finis perficit et coronat opus; finis fructum et premium operis affert, ideoque illi corona imponitur. Rursum, q. d. Melius est in opere bono perseverare, quam illud inchoare; imo praestat non inchoare, quam non perseverare. Unde ex Hebraeo veritas, melius est postioris verbi priori, sive principio, siquae hanc gnomen potest needere precedentem, q. d. Sapiens increpans delinquentem, etsi ab eo calumniam patitur, non tamen ab increpando cesset, sed illam constantur urgeat et prosequatur, quia melior est finis increpationis principio, tum quia perseverantia in bono melior est inchoatione; tum quia falsitas calumniae in fine patet; tum quia per perseverantiam increpationis sepe vincitur duritia delinquentis, fitque ut delicta relinquat et emendet, juxta illud Prov. xxviii, 23: « Qui corrumpit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per lingue blandimenta decipit. » Lyranus vero qui per orationem accipit precem, sic verit, q. d. Melior est finis orationis calumniam passi: quia ipse orare et precari cepit tristis, at in fine succedit Dei consolatio, qua fit constans et patiens, de quo proximo versu. Insuper haec gnome monet sapientem, ut finem laborum operumque semper intueatur; adeoque patienter et hilariter ferat, vel cepisset, atque media ad finem opportuna spe finis et fructus: sic ager sumit amarum pharmacum intuitu finis, scilicet sanitatis; sic miles laborat spe promotionis ad majora. Sepe enim infima tenuia et dura sunt, sed finis amplissimus et laetissimus consequitur, juxta illud:

Debile principium melior fortuna sequetur.

Ita Aben-Ezra. Hinc quidam verit, melius est cogitare finem rei quam principium, juxta illud:

Quidquid agas prudenter agas, et respice finem.

Maxime ergo haec gnome docet perseverantiam in cepto opere bono; haec enim sola coronatur, juxta illud Christi: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Math. x. Unde Hugo haec gnome intorquet in eos qui finem conclusionis, orationis vel missae, aut scientie quam discunt, non expectant: hi enim oleum et operam perdunt, praesertim quia solet Deus in fine orationis, et premiandum constantiam et perseverantiam magna lumina, magnos affectus, magnas spes rei, qua petitur, conficiende infundere. Adhaec in oratione exaudientur, et obtinent quae postulant, ut promittit Christus Lucae xii, 44 et seq. Denique S. Hieronymus, lib. 1 Contra Jov., « Multi, ait, vocati, pauci electi. Incipere multorum est, perseverare paucorum: unde et torum premium eorum qui perseveraverint; » nimirum magnum, imo summum est perseverantiae donum, uti docet Concilium Tridentinum

et S. Augustinus, lib. De Bono perseverantia. Audi S. Bernardum, epist. 129 ad Januenses: « Et nunc quid restat, charissimi, nisi ut admoenamini de perseverantia, quae sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor animi, virtutum consummatio est, nutrit ad meritum, mediatrix ad premium. Soror est patientiae, constantiae filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimittatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo; benigne non qui ceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

Mystice, idem S. Hieronymus: « Dum, ait, in isto saeculo sumus, quod scimus, omne principium est: cum autem venerit id quod perfectum est, in novissimis et consummatis erimus, » q. d. In terra bonum inchoatur, in caelo perficitur. Vide I Corinth. xiii.

Tropologicè Olympiodorus: « Melior, ait, est finis orationis in qua agitur de virtute, principio: neque enim solum cepisse pulchrum est, verum multo magis rei ceptas finem imposuisse. » Sic et Albinus: « Melior est, ait, consummata justitia quam inchoata. » Sic et S. Bonaventura, Hugo et Dionysius.

Symbolice Hugo: Tota, ait, lex scripta unica censetur oratio, cujus principio, qui est timor, melior est finis, puta charitas: timor enim est seta amoris; quia sicut seta, ait S. Augustinus, filium in foramen, sic timor amorem in animam inducit.

MELIOR EST PATIENS ARROGANTE. — Hebraea, melior est longus spiritu, quam altus spiritu: longus spiritu est longanimis. Unde Septuaginta, bonus est longanimis super excelsum spiritu; Syrus, melior est longanimitas altitudine spiritus; Arabice, expectans melior elatio in spiritu tribulationis; Campensis, melior est homo patiens, quam qui libere alius cepit.

Gnomen haec neetas preced. q. d. Ideo finis orationis et correptionis melior est principio, quia facit hominem longanimem et patientem, dum longanimiter fert infirmitates et calumnias delinquentis, et patienter ejus emendationem expectat: patiens ergo melior est arrogante, qui delinquenti irascitur, eunque superbe objurgat, ideoque non emendat, sed in vitio magis obdurat. Nota « melior est patiens, » non quasi arrogans sit minus bonus, sed quod longe illi praestet esse patientem, quam impatientem et arrogantem; imo sicut patiens est optimus, sic arrogans est pessimus.

Vix exemplum illustre? Accipe S. Chrysostomum: homil. 7 De Fide Annae, matris Samuelis, quae proba Phenenne amulae suae orando leniter et fortiter tolerabat, sic scribit: « Gubernator clavo assidens servat navim, undarum incursum

gubernandi prudentia depellens: sic mulier illa, cum ira et angor in animum ipsius facerent impetum, rationem illius perturbantes, multosque fluctus excitarent, fortiter pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Siquidem hec timor tanquam naclerus gubernaculis assidens, persuasit cum tempestatem magno animo perfendam esse, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onera plenam, hoc est utrum pretioso thesauro onustum; » Maximus, serm. De Ira: « Ut naveis, ait, egregiae sunt, non quae sereno caelo navigant, sed quae tempestati resistunt, et in portum evadunt: sic homines ira ac furori resistentes, magis sunt atque fortes. »

Secundo, q. d. Melior est correptionis delinquentem, ideoque recipiens ab eo calumniam, eamque patienter tolerans, quam delinquentis arrogans, qui per fastum et impatientiam corripientem respuit et calumniatur.

Tertio, Chaldaeus verit, melior est ante Dominum vir qui subigit conscientiam suam, quam vir qui ambulat in timore spiritus. Hinc S. Hieronymus haec gnomen combinat cum vers. 4, quasi cum limitet: « Quia, ait superius, iram concesserat, dicens: Melior est ira quam risus, ne putarem iram, quae in passione est, laudari, nunc praecipit iram penitus esse tollendam: ibi enim pro correctione in peccantes, et eruditione in minores, iram posuit; hic vero impatientiam refrenavit. Patientia autem non solum in angustiis, sed et in letioribus necessaria est, ne plus quam concedet exaltetur. Videtur mihi, et qui tunc excelsus appellatur, in Evangelio pauperi spiritu esse contrarius, qui in beatitudine ponitur. » Sic et Olympiodorus.

Quarto, Thaumaturgus haec gnomen ad orationis modestiam sermonisque refert. Sic enim totum hunc versum reddit: « Sermo non in principio, sed cum ad calorem pervenerit, laudandus est. Mirum probetur modestia, non fastus aut supercilium. » Sunt enim qui initio orationis modeste demittunt oculos, vultum, vocem, sed sententia ea attollunt ac in fine verba superba, minucia, indignabunda prorumpunt, praesertim dum non impetrant quod postulant.

Primus sensus maxime connexus et genuinus est.

Moraliter, quanta sit dignitas patientiae docet Tertullianus et S. Cyrilianus, tract. De Patientia. Vide dicta Jacob. 1, 4, ad illa: « Patientia autem opus perfectum habet. » Et Prov. xvi, 32, ad illa: « Melior est patiens viru forti. » Et cap. xix, 11: « Doctrina viri per patientiam noscitur. »

Denique audi S. Gregorium, part. Past. ad mon. 40: « Per hoc quoque impatientiae vitium plerumque mentem arrogantis culpa transfigit, quia dum despicit in mundo hoc quisque non patitur, bona si qua sibi ocula sunt, ostentare conatur; atque sic per impatientiam, usque ad arrogan-